# VATICINIUM

## *JEREM.* XXXI. 31 — 40.

ILLUSTRAVIT

ISBRANDUS VAN HAMELSVELD,

S. TH. DOCTOR ET V. D. M.


*Non ignoro, quanti laboris sit Prophetas intelligere, nec facile quempiam posse judicare de interpretatione nisi intellexerit ante, quae legerit.*

HIERONYMUS.

*TRAJECTI ad RHENUM,*

Apud A. VAN PADDENBURG, ET J. M. VAN VLOTEN.

*MDCCLXXX.*




*Editur hoc opusculum cum adprobatione Rev. Facultatis Theologicæ Trajectinæ.*

ILLUSTRISSIMO

ATQUE GENEROSISSIMO

DOMINO

GULIELMO RENATO

DE TUYLL DE SEROOSKERKEN,

TOPARCHÆ

IN ZUILEN, SWESKRENG ET WESTBROEK,

ILLUSTRI ORDINI EQUESTRI DIOECESEOS TRAJECTINÆ

ADSCRIPTO,

ATQUE EO NOMINE IN COMITIIS ILLUSTRIUM AC

POTENTIUM REGIONIS TRAJECTINÆ ORDINUM

SUFFRAGII JURE

FRUENTI

ET EX HIS DELEGATO IN COLLEGIUM EJUSDEM RE-

GIONIS REDITIBUS ET RATIONIBUS EXA-

MINANDIS PRÆFECTUM

*D D D.*

ISBRANDUS VAN HAMELSVELD,







# VIR NOBILISSIME
# ET GENEROSISSIME
# DOMINE ET MÆCENAS
# GRATIOSISSIME,

Ex quo, varia eaque haud mitia fata expertus patriæ urbi ſum redditus, id mihi ſtatim operam dandam eſſe judicavi, ut in otio, quod nunc interea mihi conceſſum eſt, minime otio-



ſus



ſus deprehendar, ne ignaviæ aut inertiæ, quarum cauſſas ſemper procul habui, crimen juſte incurram. Verum prudentia hic mihi opus eſſe facile videbam: Si majoris extenſionis opus adgrederer, diuturnus futurus eſſet labor, unde forſan anſam nonnulli adriperent ſuſpicandi aut calumniandi, quaſi vitam deſidem ducere animo propoſuerim meo. Cui ſiniſtræ opinioni ut omnis anſa præcidatur brevem lucubratiunculam promulſidis quaſi loco præmittere decrevi, vnde hic enatus eſt libellus, cui Patronum TE VIR NOBILISSIME! quæſivi, in cujus clientelam veniret, & per quem ab obtrectatoribus tutus eſſet. Gratiſſima lætus recordor mente TUUM in Fratrem meum a TE Paſtorem Weſtbroekienſis pagi conſtitutum, collatum beneficium: Pro quo grati animi publicum hoc exſtare monumentum concupivi, novo benevolentiæ TUÆ indicio mactatus, qua permittere quidem gratioſe voluiſti, ut Nomine

mine TUO Illustrissimo opusculum meum ornarem & honorarem.

In laudes TUAS hac occasione excurrere, TUAMque Comitatem, humanitatem, civilitatem & cæteras virtutes, quibus Natalium splendorem, summosque illos, quos in Republica digne tenes, honores, ornare & augere soles, debito celebrare Encomio, facillimum factu foret, nisi mihi constaret certo certius, quam ab omni adsentationis specie alienus sis.


Nihil itaque amplius faciendum mihi restat, nisi ut me, meos, meaque Studia TIBI TUOque favori quam enixissime commendem, quæ si gratioso respicere oculo, atque hoc levidense munusculum benigne recipere digneris, votorum summam obtinuisse mihi videbor:



Quod supereſt, Deum O. M. ut Tibi, Vir Nobilissime! in omnibus propitius adſit, Te ſoſpitem, & incolumem Familiæ nobiliſſimæ, Urbi, Patriæ, Eccleſiæ, Scientiarum commodo præſtet, ardentibus votis imploro & precor. Scribebam Trajecti ad Rhenum menſe Februario anno CIƆIƆCCLXXX.



PRÆ-



# PRÆFATIO.

*Studium Propheticum quantopere noſtro tempore jaceat & negligatur, ſatis notum eſt, nobiliſſimum tamen illud eſſe & rei Chriſtianæ utiliſſimum quin neceſſarium omnino fateri debebit, quisquis Chriſtum Dominum & Apoſtolos pro veritate* Euangelii *argumenta, eaque indubia ſumſiſſe plerumque ex Moſe & Prophetis, ad animum revocaverit ſuum. Mihi hujus neglectus rationes & cauſſas circumſpicienti culpa penes Prophetarum Interpretes nonnullos quærenda viſa fuit. Hi enim inſulſis ſæpe & inficetis explicationibus effecerunt, ut Studii præſtantiſſimi & omni ardore veris Chriſtophilis excolendi honor evileſceret: Excogitarunt*

*runt nempe singuli varias sibi privas hypotheses, legesque Hermeneuticas ex suo ingenio condidere, ad quas Vaticinia Divina sese vel invita adcommodare debuerunt. Hinc factum, ut ii, qui Revelationi Divinæ minus bene cupiebant, culpam, quæ solorum erat Interpretum, ad ipsum sacrum Prophetarum Volumen, transferentes, illud ambiguitatis, obscuritatisque accusaverint, plerisque vaticiniis nullum, incertum saltem inesse sensum clamitantes, quin sancta Dei eloquia improbo ausu cum Gentilium oraculis comparantes, ita instiLtutis, ut quamcumque interpretationem ferre possent,* Λοξίου *titulum, quo Apollo ob dubia &* ἀμφιδέξια *oracula dictus fuit, haud minore jure ad Vaticiniorum Judæis & Christianis pro Divinis agnitorum Auctorem adplicandum pronuntiare ausi sunt. Infelicissimo sane ratiocinandi genere. Quid enim culpa Interpretum pertinet ad ipsa Divina vaticinia? turbarint illi licet, manent tamen hæc pura ac limpida: quidnam cum Ethnicorum Oraculis simile aut affine habent prædictiones in sacris nostris Tabulis occurrentes? Gentilium Oracula jure & merito suo ludibrio habentur, sunt enim ambigua & incerta, ita ut æque facile in hunc atque in illum sensum sumi queant, illud V. C. notissimum:*

Crœ-

Crœsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

*nec non aliud hocce ad Pyrrhum Epirotarum Regem:*

Ajo te Æacida, Romanos vincere posse.

*nulla enim vel minima ratio prostat, cur illud potius de Crœsi quam de Persarum opibus intelligas, aut hoc de Romanis a Pyrrho, quam de Pyrrho a Romanis debellando exponas. Verum alia longe est ratio Sanctorum nostrorum Oraculorum: Habent hæc, quantumvis dissentiant inter se Interpretes, sensum omni modo determinatum, ac omnibus, qui Linguæ, qua proposita sunt, genium adsequuntur, facili opera intelligendum; omnis dissensus versatur potissimum circa adplicationem eorum ad subjecta sua seu ad casus & eventus, qui prædicti sunt. Quæ quidem res minime mira accidere potest cogitanti, quam multa hujus Orbis fata inter se alterum alteri sæpe sint similia, quam sæpe*

Ludat in humanis Divina potentia rebus.

*Deprehendere sibi visi sunt Viri eruditi, sicut harmoniam, quæ in omnibus summi & sapientissimi*

*simi*

*ſimi Numinis Operibus elucet, inter ſyſtema mundi naturale & morale, ſic in hujus variis caſibus exſtantioribus, quorum nonnulli Typi futurorum fuerunt, Antitypicos caſus adumbrantes & præfigurantes: de qua re exſtat* J. FRIDER. STAPFERI Diſſertatio Theol. Exeg. de conformitate Operum Divinorum in Mundo Phyſico & Myſtico, eoque Typico & Antitypico in Tempe Helvet. Tom. I. Num. II. pag. 33.

*Quid, quæſo, mirandum, ſi Interpretes, cum reperiant duos aut plures caſus & eventus inter ſe multifariam ſimiles, ad quos Vaticinium aliquod, quod præ manibus habent, referri poſſe videtur, illud huic aut iſti adplicent, prout ſuæ jam ante formatæ hypotheſi conveniat, quam etiam undique, ut fit, etiam ubi nullum præſidium habent, firmare & roborare adlaborant.*

*Fecerunt nimirum, quod ante ætatem noſtram facere ſolebant Phyſici in explicandis Naturæ phænomenis, pro fundamento hujus explicationis ſuas habebant hypotheſes, atque adeo ſæpe ſæpius ſomnia & deliria ſua diſcipulis ſuis pro veritate obtrudebant, nubem amplexi pro Junone. Multo prudentius inſtituunt hodierni; experientia utuntur magiſtra, res ipſas ſollicita cura obſervant, inter ſe*

*ſe comparant*, & *ex* experimentis *captis tandem ſuas conficiunt Regulas, certas jam, & dilucidas ac minime dubias aut obſcuras.*

*Illorum exemplum ſi Interpretes Vaticiniorum ſequi tandem diſcerent, haberemus, ubi pedem figere poſſemus: Si miſſis hypotheſibus & aliis heterogeneis ac peregrinis nativam verborum ſignificationem, uſum & ordinem ſectarentur, deprehenderent omnes, viros* θεοπνεύστους non fuiſſe emotæ mentis, cum non modo futura præcinebant, ſed etiam cohærentia loquebantur, *ut verbis utar Tullii Chriſtiani*, LACTANTIUM *indigito*, Divin. Inſtit. Lib. I. Cap. IV.

*Sique certa a minus certis, clara a minus claris ſedulo & gnaviter diſtinguerent, ac ab illis initium facerent, ſpes haud vana ſurgeret, feliciore ſucceſſu regulas condendi magis Univerſales, quæ clavis ad inſtar forent ad hæc adyta reſeranda.*

*Ante omnia, mea quidem ſententia, quando Vaticinium aliquod explicandum ſit, illius ſenſus ſecundum regulas interpretandi juſtas erui deberet, & in apricum proferri, nec ante de ejus Implemento, vel adplicatione ad caſum aut eventum præ-*

*prædictum cogitandum esset, quam sensus determinatus insitos exhibeat nec dubios characteres, quos ut filum aliquod Ariadneum sequi possis.*

*Hæc & talia mihi saltem præscripsi in tractanda & declaranda pericopa* Jerem. XXXI. 31-40. *quam in hoc Libello Lectori offero. Elegi Vaticinium, quod neutiquam inter obscura aut difficilia referri potest, cujus sensus determinatus & certus est, adeo ut nullum fere remaneat dubium, saltem non alicujus momenti. Hujus eo ordine Explicationem peregi, ut priusquam, Anacrisi instituta, inquirendum mihi sumsi quorsum pertineret, animo, quoad ejus fieri potuit, præjudiciis vacuo pericopam nativo suo lumine fulgere effecerim, Exegesi verborum secundum simplicem eorum usum & significationem præmissa; quæ absoluta tales mihi suppeditavit characteres & criteria, quibus ducibus scopum obtinere & casum in hac pericopa indigitatum indicare feliciter potui. De quo penes Lectorem esto judicium!*

*Post longum demum interstitium ad Musas Latinas reverso, facilem mihi veniam dabit æquus Lector, si dictionis Latinae elegantiam minus adsecutus sim: dum Ecclesiastico munere fui functus, saepe* Augustini *dictum in mentem venit, qui* Epist. 131.

131. *ad Memorium Episcopum ita scripsit:* Posteaquam mihi curarum Ecclesiasticarum sarcina est imposita, omnes illæ delitiæ fugere de manibus, ita ut vix nunc ipsum codicem inveniam. *Nunc otio aliquo mihi concesso usurus tanquam postliminio ad Latinae linguae usum revertor, quam in hoc Opusculo idcirco inter alia vernaculae Belgicae praetuli, quia nonnulla in eo dicenda facilius stilo Latino exprimi potuere.*

*Honorem & reverentiam Viris doctis, a quibus modeste & nullo contendendi, minime omnium obtrectandi studio, sed casto veritatis amore dissentio, praestiti, quamvis libero & liberali cogitata mea exposuerim sermone*, rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.

*Errores Typographicos, siqui post sedulam operam irrepserint, benevolus excuset Lector, dicti illius memor:* Sicut frumentum non potest esse sine palea, sic operæ Typographicæ nequeunt esse sine erroribus.

*Denique bonis & æquis si caussam diligentiae, & me non mihi soli vivere velle probavero, illud, quod hac opella inter alia intenderam, me adtigisse, contentus ero.*

QUID-

QUIDQUID AUTEM DICTUM EST, AUT PORRO DICETUR ORTHODOXIS EORUMQUE JUDICIO SUBMITTIMUS AC COMMENDAMUS, SUBMISSUM VOLUMUS ATQUE HIC TESTAMUR.



EXE-



# EXEGESIS

## PHILOLOGICO-THEOLOGICA

### VATICINII

### *JEREM. XXXI.* 31.–40.

Rectisſime atque ex vero pronuntiavit celeberrimus Genevenſium Theologus J. A. Turretinus, in *Corollario* ſubjuncto *Disſert.* IV. *Vol.* II. in quâ disſertatione egregie disputat *pro veritate Religionis Judaicæ: Religionem & gentem Judaicam mirum quoddam phænomenon esſe, cui explanando Increduli omnino impares ſunt; ſed quod, poſitâ* Religionis Judaicæ *veritate, optime ſolvitur.* Sane, ne nunc de miraculis, quæ ſummus rerum Arbiter ſæpisſime, ut hanc ſibi dilectam gentem ab hoſtium injuriis & oppresſione ſartam tectam ſervaret & vindicaret, fuit operatus, dicam, quam multa ſingularia & miranda prorſus unicuique populi hujus politiam & fata ab initio



ad

ad hodiernum usque tempus adtenta mente luſtranti & ſecum perpendenti, ubivis ſeſe obferunt? Habuit hic populus jam antiquisſimis temporibus, in ipſis Reipublicæ ſuæ incunabulis, non tantum cognitionem veri & unius Dei, Leges morales, virtutem præſcribentes, & vitia prohibentes, ſed & Inſtituta atque Leges Civiles, optime ad ejus circumſtantias adcommodatas, & ſapientiſſimo digeſtas ordine, ita ut Moſen, eorum legislatorem, ſi vel ipſius θεοπνευστίαν in dubium vocare quis vellet, ſapientiſſimum tamen virum, & legislatorum omnium fuiſſe Coryphæum negare nullo modo poſſet: Fidem faciet dictis meis clarisſimus J. D. Michaelis in Opere elegantisſimo, in quo cauſſas & rationem legum Moſaicarum (*ſpiritum* vocant) adcuratiſſime & erudite expoſuit, quodque *Jus Moſaicum* inſcripſit. Habet præterea hicce populus hiſtoriam ſuæ gentis ab exordio mundi ipſius ſerie juſta decurrentem per omnes inſecutas ætates, quando Græci ac Romani, cæteræque omnes orbis nationes per aliquot adhuc ſæcula ignorantiæ temporis ἀδήλου, quemadmodum *Varro* adpellitabat, tenebris adhuc oberrarent ac premerentur inglorii.

Verum, id quod ad præſens inſtitutum magis facit, fata hujus populi, quam fuere grandia, quam miri caſus! Servitute graviſſima in Ægypto oppreſſi in libertatem adſeruntur, terramque Cananæorum, (& fuere hi bellicoſiſſimi!) bello occupant novamque maximis prodigiis a Numine adjuti, in Palæſtina condunt Rempublicam. Et quamvis in XII tribus ſive Δήμους, æquales & proin valde inter ſe de dignitate & prærogativis ſuis

ſuis æmulas, de qua *æmulatione*, *cauſſa vera ſciſſæ ac debilitatæ Judæorum Reipublicæ* diſſertationem ſcripſit Hiſtoricam eruditiſſimus VERSCHUIR, inſertam *Biblioth. Brem. Nov. Claſſ. II. Faſc.* 2. *pag*. 68. & repetitam inter Viri cel. *Diſſertationes Philol. Exeget.* editas *Leov.* & *Franeq.* 1773. *Num.* 3. diviſi, tamen per 300, & quod excurrit, annos ſemet contra omnes vicinorum populorum inſultus fortiter & ſtrenue defenderunt, donec Ariſtocratia vel Theocratia potius in Monarchiam mutata, Regem Saulum e tribuum minima, Benjaminitica, Deo rem dirigente, eligere placuit. Poſt quem, in prælio adverſus Philiſtæos mortuum rerum ſumma ad Davidem Jeſſei filium e tribu Juda revolvitur, in cujus familia regia illa dignitas continua ſucceſſione, a patre ad filium primo in totum populum, deinde poſt infauſtum ſub Rehabeamo Davidis nepote ſchisma, in tribum Judæ & Benjaminis per omne illud temporis ſpatium manſit, quam diu reges populus habuit ad exſilium Babylonicum usque: Exemplo, cujus ſimile apud alium ullum populum aut gentem vix proſtat aut ex hiſtoria produci poteſt, ut ſine variatione hæreditario jure una aliqua familia non abrupta ſerie rerum potita fuerit, ſed in quo veritas Divinarum promiſſionum Davidi olim factarum, & exinde ſæpius repetitarum inſignem in modum elucet. Breviſſimum porro, ſeptuaginta tantum annorum, perpeſſi exſilium, reverſi in patriam, inter tot & tam magnos rerum motus & converſiones ſub imperio Perſico, Græco, Syro-Macedonico, ſalvi manſere, quin & ducibus fortiſſimis illis Heroibus, Maccabeis, in liberta-

tem & gloriam priſtinam ſe vindicarunt, atque iterum etiam ſupra majores ſuos effloruit Judaicus populus, donec Jesu Nazareno, quem pro Meſſia colimus, occiſo crudeliter, & Euangelio ſalutifero ſtulte ac pertinaciter ſpreto, Reſpublica plane everſa fuit a Romanis, duce Tito Veſpaſiani filio, Judæique per totum diſperſi terrarum orbem. Nec tamen, quæ res non minus exemplo caret, licet varios inter populos habitantes, variisque, diriſſimis etiam, caſibus adflicti & tum ab Ethnicis, tum a Mohammedanis, ſed & ſubinde a Chriſtianis ipſis crudeliſſima ſæpe ratione perſecutiones atrociſſimas paſſi, gentem ſeparatam conſtituere ceſſarunt, patriis legibus, moribus, ritibus denique, quantum quidem ipſis per rerum περιστάσεις licet, pertinaciter inhærentem. Certe aliquid hic plus quam humanum, aliquid hic Divinum occurrere, quisquis animo pio & ſincero ad hæc adtenderit, fateri cogitur. Si quis ex Analogia concluſionem formare vellet, talem gentem per tot ſæcula conſervatam, ſub peculiari Numinis eſſe tutela et curâ, quin forſan olim ad patrios reverſurum Lares, patriaque arva culturum, næ! ille, meo quidem judicio, haud ita male rationes ſuas ſubduxiſſe cenſeri poteſt.

Ut propius ad rem veniamus: Exſtant in Sacris noſtris voluminibus tot promiſſiones Divinæ, huic Judæorum populo factæ, tot oracula de ipſorum fatis & caſibus, ut vel invitus, ſi utraque ſecum contuleris, divinam peculiarem providentiam hic agnoſcere cogaris. Habent enim hæc fata & vaticinia indivulſum ejusmodi nexum inter ſeſe, ut, qui hæc & illa adtente

te ad animum fuum revocat, facile perfpicere poffit, populi fata vaticiniis hifce, vaticinia vero & facrorum vatum effata illis cafibus lucem, dignitatem & reverentiam creare.

Hæc atque alia hujuscemodi qui cogitaverit, ultro is meum, fi non laudabit, excufabit faltem propofitum, cum vaticinium, quod de hoc populo apud *Jeremiam* Cap. XXXI. 31–40. occurrit, Divinamque promiffionem ei factam, qua fimul futuri ejus cafus continentur, explanare hac commentatione adgrediar. Præfertim quoniam hoc oraculum unum eft e maxime claris & dilucidis, ubi multis indulgere conjecturis opus non erit admodum; fimul quoque illuftriffimum, & multis aliis dictis Propheticis lucem præbiturum: quamvis tamen fatendum fit, illud παρερμηνείᾳ interpretum veterum & recentiorum quorundam, non minus quam alia, fubjectum fuiffe.

Ut certa aliqua ratione, & cum boni fucceffus fpe in explicando vaticinii hujus fenfu verfemur, ejusque veram vim exhauriamus, recteque adplicemus temporibus fuis, opus erit fecundum jacta a nobis in Prolegomenis principia, bipartitim hanc inftituere differtationem: In anteceffum quidem fenfum verborum in vera ponendo luce, deinde quorfum demum hoc oraculum pertineat, quibusque cafibus aut rerum eventui adplicari debeat, modefta ἀνακρίσει, inquirendo. Præmittemus tamen brevem quandam fciagraphiam dicendorum feu

## ANALYSIN

*totius vaticinii.*

I. Complectitur pericopa, quam tractandam suscepimus *generalem* promissionem *de Novo Fœdere a Deo cum Israelitis pangendo* vs. 31. quæ ulterius deducitur commatibus 32--40.

Quod ad generalem propositionem,

A. præmittuntur

א. tempus, quando hæc promissa effectum sortitura sint vs. 31 *a*. *Ecce dies venientes.*

ב. Certitudo & auctoritas Oraculi: *Inspiratum* JEHOVÆ. vs. 31 *b*.

B. Oraculum ipsum hisce verbis effertur: *Et*, vel *quibus novum fœdus feriam cum domo*, sive gente, *Israelis & domo Judæ.* vs. 31 *c*.

II. Deducitur hæc *generalis* Propositio; *speciatim* exponendo *Novi* hujus *Fœderis* Naturam & bona, ac solvendo dubia, quæ divinæ in Judæos benignitati impedimentum adlatura, saltem moram factura videri possent.

A. *Fœderis* a Deo promissi *natura* & *bona* proponuntur

א. κατ' ἄρσιν: vs. 32. ubi

α. Opponitur *Fœderi* alii *antiquo*: *non secundum fœdus, quod pepigi cum patribus*, id est majoribus, *ipsorum*, *eo die*, *quo prehendi illorum manum ad eos educendos ex terra Ægypti.* vs. 32 *a*.

β. Quod

β. Quod *antiquum fœdus*

a. a parte populi violatum erat; *quod fœdus meum infregerunt*; five *propterea quod ruperunt fœdus meum*.

b. a parte Dei abolitum; ideo *ego nuntium illis misi, res suas sibi habere jussi, inspiratum* Jehovæ, vs. 32 *b*.

ב. *κατὰ θέσιν* exponuntur: *Novi fœderis natura & bona*, vs. 33 & 34.

α. *Natura* novi fœderis, addita iterum formula confirmandi. vs. 33 *a*.

a. Præmittitur declaratio & auctoritas, *verum hoc est fœdus, quod ego post illos dies*, (quibus nempe fœdus ruperunt, & me illorum pertæfum fuit) *pangam cum domo*, h. e. populo, *Israelis, inspiratum* Jehovæ.

b. Quam fequitur natura *fœderis*, quod fpirituale totum foret absque ceremoniis vel bonis corporeis & typicis: *Legem meam eorum visceribus ita indam, ut eam cordi ipsorum inscribam*.

β. *Bona* fœderis duplicis funt generis, vel *radicale* reliquorum, & eorum causfa, & *bona* inde profluentia, hæc

a. primo loco memorantur, funtque

1. communio arctiffima inter Deum & Ifraëlitas tanquam populum Dei, hac formula fœderali expreffa: *Et ero illis Deus*,

 &

*& illi mihi erunt populus*, liber & sui juris, vs. 33 *b*.

β. Cognitio summa & adcuratissima summi Numinis, ejus rectum cultum simul involvens. vs. 34 *a*.

⌐. Negative promissa: *Et non amplius vir proximum suum & vir fratrem suum* (semet invicem) *docebunt*, dicentes: *Cognoscite* JEHOVAM.

=. Positive confirmata: *Nam omnes me cognoscent, a minimo eorum usque ad maximum eorum: Inspiratum* JEHOVÆ.

b. Bonum radicale jam submittitur, quod rationem reliquorum in se continet vs. 34 *b*. *Nam eorum iniquitati condonabo, illorumque peccata non amplius meminero.*

B. Exposita *Fœderis Novi* natura, ejusque *bonis* enumeratis, sequitur vs. 35 -- 40. solutio *dubiorum*, quæ hujus fœderis solenni cum Israëlitis erectioni & confirmationi obicem ponere videbantur. Tria sunt, quæ memorantur & solvuntur, dubia.

א. Primum dubium oritur ex dispersione Judæorum inter gentes, qua effectum iri, aliquis opinari posset, ut tandem hic populus plane exterminetur & gens vel populus esse desinat: cui dubio Deus obviam it, adseverando, æque minus Judæos cessaturos gentem constituere, ac leges naturales abrogandas. vs. 35, 36.

a. Fun-

α. Fundamentum hisce substernitur vs. 35. descriptione summi rerum Arbitri. *Sic dicit* Jehova, *qui solem dat in lucem diëi, firmis legibus, lunam & stellas in lucem noctis,* vel de nocte, *moderans fluxum & refluxum maris, ut fremant fluctus ejus,* Jehova exercituum *nomen ejus.*

β. Dubium ipsum solvitur vs. 36.

a. Legum naturalium inviolabilitate adserta: *Si hæc statuta,* (hæ leges) *vel tantillum remittant a facie mea, inspiratum* Jehovæ (curæ & imperio meo subtracta),

b. & inde confirmata promissione de duratione populi Judaici: *Etiam semen Israelis* (reliquiæ & posteri) *desinet esse gens* (vaga quidem & perdita, distincta tamen) *coram facie mea* (sub mea tutela & cura) *omnibus illis diebus.*

2. Altera difficultas sita est in magnitudine & atrocitate peccatorum Israelitarum, quæ ultima & finali gentis extirpatione & rejectione vindicare justitia divina requirere videbatur; contrarium tamen Deus promittit vs. 37.

α. Illustrantur dicenda ex incomprehensibilitate operum Divinorum in naturæ regno, præmissa formula: *Sic dicit* Jehova: *si Cœli superne mensurabuntur, & fundamenta terræ investigabuntur inferne* (mensurari & investigari possunt.)

β. Promissio ipsa fit, Deum, non obstantibus

atrocibus populi rebellis factis, tamen finaliter & universaliter eum non rejecturum: *Etiam ego exulcerato animo repudiabo totum semen Israëlis propter omnia quae fecerunt, inspiratum* Jehovæ.

3. Tertia denique difficultas est, urbem templumque, quondam Deo sacrata, jacere deserta & desolata, ab hostibus impuris conculcata & vastata: ut hanc tollat, promittit Deus, reædificandam Urbem, sibi sacratam & inviolatam, pomoeriis, quam unquam antea, latius extensis, & mansuram in perpetuum a vastatione & vi hostium liberam, vs. 38--40.

α. Hic præmittuntur rursus

a. Tempus: *Ecce dies venientes.*

b. Auctoritas oraculi: *Inspiratum* Jehovæ.

β. Promittitur in genere

a. Restitutio & reædificatio Hierosolymorum *&* (quibus) *ædificabitur hæc urbs* Jehovæ (sacra & inviolata).

b. Speciatim indicatur

*I.* Majore ambitu eam includendam & Jehovæ sacram fore; quare describitur ambitus urbis vs. 38, 39, 40 *a*.

—. A latere septentrionali *a turre Hananeëlis usque ad portam anguli*, vs. 38.

=. A latere occidentali: *Et linea mensoria ulterius e regione ejus* (portæ anguli) *egredietur* (excurret) *usque*

*que ad collem Gareb*, *&* *circuibit Goatham* (Golgotha) vs. 39.

ג. A latere meridionali: *Et omnem vallem cadaverum*, *&* *cineris*.

ד. A latere orientali: *Et omnes campos usque ad torrentem Kedron ad angulum portæ equorum usque*, *versus Orientem*: *Sanctitas* JEHOVÆ! vs. 40 *a*.

*II.* Nunquam amplius exſcindendam & vaſtandam fore vs. 40 *b*. *Non evelletur* (exſcindetur prorſus) *imo nec contundetur amplius in æternum*, vs. 40 *b*.

### Pars exegetica.

Jam bono cum Deo ipſam pericopæ noſtræ tractationem adgrediemur! Generalis Promiſſio de Novo Fœdere cum Iſraëlitis pangendo vs. 31. hic primum nobis occurrit; in quo verſu ante omnia Vates Lectores & Auditores ſuos ad adtentionem debitam excitat per voculam הנה *en*, *ecce!* pro qua Græci poſuere ἰδȣ; Hac vocula ſæpe novas pericopas incipere ſolent Prophetæ, ſæpe etiam in Hiſtoricis libris occurrit, & ex imitatione Hebræorum in N, T. ἰδȣ ſæpiſſime quoque reperire eſt. Vulgo putant, ἐμφαἸικῶς eam ſemper uſurpari, atque indicare, rem, quæ proponitur, ſingularem, miram & inexſpectatam, ſimul tamen lætam & optatam eſſe: ſed intercedit cel. J. D. MICHAELIS *Introd. ad Libros N. Fœderis Tom. I. Part. I.* pag. 241, 242. jubetque cum hac particula conferri Arabum لذا vulgatiſſimi apud illos uſus, absque ulla Emphaſi: In

quo

quo facile Viro doctissimo fidem habeo cum respectu ad Libros Historicos; sæpiuscule tamen cum Emphasi insigni sumendam esse, præcipue apud Prophetas, negare non sustinerem. Quin illud observare mihi visus sum, tum quammaxime adhiberi, quando res bonis omnibus desiderabilis, in spem & consolationem piorum promittitur. *Zach.* IX. 9. &c. Atque ita hic loci innuere rem, quæ proferetur eloquiis Divinis, esse omni modo, quæ adtendatur, dignissimam, majorisque abollæ, crediderim. Et vero promittitur in sequentibus res desiderabilis, miranda, omnemque hominum fidem ac spem superans. Cum Israëlitis toties rebellibus, semper animo præfracto durâque cervice Deo semet opponentibus & immorigeris fœdus suum aliquando Deus misericors & benignus renovabit!

Porro aliquoties in hoc capite dictio recurrit, *Ecce dies venientes*, הנה־ימים באים vide verf. 27, 38, &c. *diem* pro tempore poni, quemadmodum apud Græcos ἡμέρα & Latinos *dies*, notius est, quam ut indicari necessum sit, alias remitteremus Lectorem ad illos, qui *de stylo Novi Testamenti* scribentes, de hoc vocis usu egerunt; majus est, *dies* poni pro tempore certo apud Deum in consilio suo definito & determinato; sed quid hic significat proprie illa dictio: *Ecce dies venientes?* Cel. VENEMA in Comment. ad h. l. *Scilicet*, inquit, NOVI *dies post supra memoratos, quibus immediate succedent; adeoque post tempora Maccabaica*, (eo enim Interpres versus immediate antecedentes retulerat,) *de quibus supra erat actum. Quæ clara est et facillima cohærentia, nos ad tempora Messiæ du-*

*ducens.* Dubito, an recte; certe neque vs. 27. neque vs. 38. ubi eadem obvia est phrasis, hac ratione explicuit Vir acutissimus, sed alio refert: scio quidem, quod vs. 38. novam initium ducere pericopam, sibi persuasum habeat, verum illud precario adsumit, quemadmodum in Anacrisi plenius videbimus. Mihi in genere tantum est futuri alicujus temporis descriptio; absque ut determinetur, num sint illi ipsi *dies* memorati vs. 27. & 38. an vero novi ab illis discreti, prioribusque illis succedentes, quod hic non ex phrasi sed ex re ipsa & aliis Criteriis dijudicandum erit. Futurum, inquam, Tempus hic intelligendum forsan longissime adhuc remotum, licet dicatur ex vi participii *Benoni* apud Hebræos, in præsenti, *ecce dies venientes*, hoc est, jam instantes, qui jamjam decurrere incipiunt, & certo certius aliquando futuri sunt. Quod dicendi genus hic adhibetur, sive ad denotandam certitudinem implementi hujus Oraculi, sive uti egregie CLERICUS ad h. l., quod tempus hoc mox futurum dicatur, *non more hominum, apud quos res differri multum dicitur, cum aliquot ætatibus elapsis tantum fit. Sed tempus, quod collatum cum ætate hominum longum vocatur a nobis, Deo æterno & futura quasi essent, videnti, breve dicitur*, quod vel ipsis gentilibus observatum ex PLUTARCHI *de sera Numinis vindicta* libello ostendit, sic et Petrus II. Ep. III. 8, contra quosdam de promissionibus Divinis male loquentes observat: ὅτι μία ἡμέρα παρὰ Κυρίῳ ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη ὡς ἡμέρα μία. Propius tamen ad rem erit observasse, ex *scena Prophetica*, quæ dicitur, recte constituta hanc locutionem optime ex-

explicari poſſe, Sæpe Vates divini quaſi in ea tempora, de quibus, poſt revoluta ſæcula demum futuris, vaticinantur, Lectores ſuos transferunt, resque tantum non ob oculos ponunt. Quæ res probe intellecta multum valet, ad prædictiones Prophetarum clarius intelligendas, eorumque ſermonem ab Ellipſibus, Enallalis, aliisque figuris Rethoricis, liberandum. Hoc jam adplicemus ad rem præſentem, ſi ſcena hujus viſionis prophetica ſigatur eo modo, ut nos quaſi præſentes magnis illis, quos canit, eventibus ſtatuat ſacer Vates, recte dixit: *Ecce dies venientes*; inſtat tempus, jamque adeſt.

De Tempore poſtquam monuerat vir Divinus, dictis ſuis auctoritatem addit, formula apud Prophetas ſolemni נאם-יהוה. *Inſpiratum* Jehovah! Dei veri & veracis. De יהוה titulo ſummi & unici Dei, ab Iſraëlitis culti, oppoſite ad Deos aliarum Gentium, pleni omnes Commentatorum libri, plenæ omnes paginæ, quare præſtat nihil quam pauca de eo dicere, ne acta agamus. Unicum tantum hoc, bona Lectoris venia moneo, nuperrime admodum ſuam de hoc nomine ejusque origine et vera pronuntiatione ſententiam dixiſte Cel. Scheidium in *Specim. crit. complect. novam verſion. Jeſ. Cap. I.* ubi §. 5. יהוה deducit ab הוה, quod veteri Cananæorum lingua, idem quod היה in Aramæa; ut ſit tertia perſona Fut. Kal יְהֱוֶה, ſed pro (ֱ) ſubſtituendum (ָ) Kametz in Nominibus propriis, quod (ָ) obſcurius ſi pronuntiatur tanquam (*o*), veram pronuntiationem fore Jahavoh, apud Græcos Ἰάω. *Diod. Sic.* Lib. I. cap. 94. pag. 105.

Quid-

Quidquid ſit, id certum eſt, titulum huncce, quod ex *Exod.* III. et VI. conſtat, Deo ſummo in ſacris V. T. tabulis adſcribi cum reſpectu ad Iſraëlitas, quos in tutelam et fidem recepit, ſed et ad promisſiones huic populo magno numero factas, in quibus populo communicandis tantum non ſemper hoc Dei Elogium obvium eſſe videmus, et ſane nominis hujus vim ſummum Numen tunc exſerit, quando ſuæ memor veritatis promiſſa ſua reapſe præſtat et efficit.

Hujus jam Dei fallere neſcii promisſionem Iſraëlitico populo factam, in ſe continet ſequens pericopa, quare præmittitur נאם-יהוה. Quod vocabulum נאם eſt vel participium pasſivum formæ פקיד, vel nomen formæ infinitivæ, a radice נאם Arabibus نأم, *ſpiravit, leni ſubmiſſoque ſono vocem edidit*, ut ſolet *muſſitans*; quam vim verbum hoc נאם habet in difficili iſto loco apud noſtrum Cap. XXIII. 31. הנני על-הנביאים נאם-יהוה הלקחים לשונם וינאמי נאם i. e. *Ecce me contra Prophetas illos, dictum Jehovæ, qui adhibent linguam ſuam, ut muſſitent, ſive ſubmurmurent illud* נאם. Ad quem locum omnino conſulendus novisſimus Interpres hujus libri *Tom.* I. *pag.* 598. Certi igitur ſumus hac adjecta ſolenni formula, nos non humana ſed Dei vivi verba legere, certo certius ſuo tempore exſecutioni mandanda et cum plena fide amplectenda.

Hisce præmisſis, vaticinium ipſum ſive promisſio proponitur generalibus verbis: וכרתי את-בית ישראל ואת-בית יהודה ברית חדשה *Et ſecabo cum domo Iſraëlis et domo Juda novum fœdus.* De phraſi כרת ברית ſe

*secare fœdus* proprie, Latinis *ferire fœdus* Græcis ὅρκια τέμνειν cum respectu ad hostias et victimas in confirmationem pactorum fœderum in partes secari et obferri solitas, in signum similis mortis perjuro vel fœdifrago infligendæ, nil est, quod hic multis agam, quum Interpretes et rei antiquariæ explanatores plenis modiis sua observata huc contulerint, uti vel ex Lexicographis constat. Legatur nota 209. Cel. MICHAELIS in *Epist. ad Hebr.* quando tamen hunc morem ex *Gen.* XV. etiam probat et illustrat, velim Lector! legas et dijudices Cel. VENEMÆ animadversiones et explicationem hujus loci in *Diss. select.* pag. 156 sqq.

Hinc et vocem ברית a ברה notione *secandi* derivandum esse plurimi censent, alii a notione ejusdem radicis *eligendi*, alii *comedendi*, quam præfert VRIEMOET *ad Dict. Class. Tom.* I. *pag.* 94. conf. pluribus SIMONIS *Arc. formar. Part. I. Sect.* 4. *Cap*, 8. coll. ejus *Lexico Hebr.* si dicamus quod res est, usus linguæ postulare videtur vocis ברית radicem esse ברה, est enim formæ בכית *fletus*, quod certo certius a בכה *flevit.* conf. SCHULTENS *ad Job.* XXXVII. 21. ברה autem proprie *secare* significat, hinc *exasciare*, *polire.* sic ברי exstat *Job.* XXXVII. 11. notione *nitoris* et quidem *rasilis*, et בריה *pinguedo* proprie *nitor*, quemadmodum *nitere*, apud *Phædrum*, *nitens taurus*, apud *Virgilium*, *nitida jumenta* apud *Nepotem*, de pinguibus conf. VV. Doctos ad *Phædr.* III. *Fab.* 7. Istam autem exasciationem et politionem conditionum fœderis, tamdiu scilicet institutam donec utrique parti placeant, si dicamus potius notioni *fœderis* in voce ברית an-

ansam dedisse, quam dissecta et sacrificata animalia; forte magis antiquissimorum hominum simplicitati illud conveniet, sed ἀπέχω.

Majorem multo adtentionem meretur quæstio, quo sensu ברית adhibeatur, cum de pactis Divinis sermo est? vocabulum hocce *fœdus* notans a LXX. Interpretibus διαθήκης voce exponitur, quos Apostolus in Epistola ad Hebræos passim sequitur. Jam hæc vox apud Græcos profanos Scriptores illa notione *fœderis* vix nota est, qui de *Testamento* eam usurpare solent; cum Græcis Interpres Latinus Vulgatus etiam ברית per *Testamentum* vertit. Ex his omnibus factum est, ut Theologi locuti sint de *Testamento Divino*, quin et librorum nostrorum sacrorum duæ partes *duo* vocatæ sint *Testamenta*. Multi tamen hic fluctuarunt, dixeruntque cum *Drusio*, Hebraicum ברית semper *fœdus*, nunquam *Testamentum* significare, & διαθήκην in Lingua Hellenistica prorsus idem denotare quod alias apud Græcos συνθήκη *pactum*, *fœdus*. Cum vero videant, Apostolum in Epistola ad Hebræos vocabulo videri significationem adtribuere *Testamenti*, alii cum *Hieronymo* eum haud exactius coram crassis auditoribus egisse, alii vel e canone ejiciendam, Paulo saltem abjudicandam esse Epistolam censuere. Vide Joh. Frischmuth. *Diss. de Fœd. Novo* I. §. 11. sqq. (exstat in *Thesauro Ikenii Tom. I. pag.* 857.) Nuperrime etiam vir clarissimus J. D. Michaelis ברית & διαθήκην in sacris Testamentum innuere, aut nos sat commode et convenienter consuetudini sacrarum paginarum, de *Testamento Divino* sermonem facere posse negavit; tum in *Prolegom. ad Sect. XI.*

*Comment. Peircii in Epist. ad Hebræos.* Quam suam opinionem repetiit in opere præstantissimo *Introduct. ad libr. N. Fœderis* statim ab initio, tum in *Nota* 200 *ad Hebr. IX.* 15. ubi id operam dedit ut doceat, διαθήκην & ברית *fœdus* solummodo in sacris denotare, eoque sensu etiam a Scriptore Epistolæ *ad Hebræos* usurpari, adeoque nostros libros sacros non *Vetus & Novum Testamentum* sed *Vetus & Novum Fœdus* vocandos esse; agitque hanc caussam multa cum probabilitate. Quia autem hunc nostrum locum in specie semel iterumque Apostolus cit. Epist. VIII. 8 - 12. & X. 16. ad partes vocat, non abs re censeri poterit, si hac occasione paucis inquiramus, quid certi demum hic statui queat; nec hanc liberam inquisitionem ægre feret generosus cel. MICHAELIS animus.

Scripsit Doct. LEONARD VAN WOLDE Dissertationem *de Testamentifactione Hebræis veteribus ignota* anno 1760. sub præsidio RAVII nostri, viri supra meas positi laudes, cuique multum debere studia mea, & alias professus sum, et semper grata mente agnoscam: (*Collectioni* suæ *Opusculorum Hist. Philol. Theolog.* eam inseruit IO. OELRICHS *Tom. I. Num.* 10. *pag.* 305.) Si autem hoc adfirmandum sit, apud Hebræos Veteres Testamenta prorsus fuisse incognita, transeundum mox erit in castra cel. J. D. MICHAELIS, διαθήκην & ברית in Sacris *Testamentum* significare posse negantis. Nobis quum hic longioribus esse non liceat, bonum factum, quod Lectores remittere possimus ad dissertationem Doct. IO. MEDHURST *de vera vocis διαθήκης in S. S. significatione & Testamentifactione apud Hebræos* in *Biblioth.*

*Hag.*

*Hag. cl. II. fasc.* 3. *pag.* 533 sqq. qui evicisse mihi quidem videtur, Testamentifactionem apud vetustissimos Hebræos rem plane inauditam aut insolitam neutiquam fuisse.

Quod jam ad quæstionem ipsam adtinet, observari meretur, διαθήκην, uti jam diximus, apud profanos Græcos Scriptores tantum non semper de *Testamento* adhiberi, quum jam οἱ LXX. eam vocem ponant pro Hebraico ברית & Vulgatus *Testamenti* vocabulum expresse adhibeat, magnum hoc quidem præjudicium creat, Hebræum ברית non tantum notione *fœderis*, sed etiam *Testamenti* gaudere, vel si mavelis, hanc vocem, quando de divino aliquo *Fœdere* usurpatur, aliquid amplius involvere, quod in *Fœderibus* humanis locum non habet, & *Testamenti* ad instar est. Extra dubium vero hoc omne locat Apostoli auctoritas, qui in Epistola *ad Hebræos* Cap. IX. hoc sensu διαθήκης vocem usurpat, quidquid obnitatur Cel. Michaelis, quandoquidem τοῦ διαθεμένου mentionem facit apertam, & præterea adseverat vs. 16, 17. διαθήκην non esse firmam nisi ἐπὶ νεκροῖς. Ipse Michaelis in *Not.* 203, 204. hisce difficultatibus maxime suam premi sententiam agnoscere debuit, nec qua ratione se inde extricaret, invenit. Quum enim διαθέμενον & μεσίτην eundem esse, ac *Mediatorem fœderis* significare, dicat, & Christum intelligat, cujus morte tanquam Victimarum Antitypo hoc fœdus sancitum sit, & νεκροὺς de victimis cæsis exponat, nullum habet huic explicationi subsidium aut fundamentum, quare variis pro fertili suo ingenio indulget conjecturis, quæ æque facile rejici ac dici possunt. Omnibus hisce probe circumspectis, ברית

 de

de Divinis rebus usupatum ejusmodi *fœdus* denotare videtur aliquid *Testamenti* simile habens, quod ulterius confirmatur tum ex ipsa natura fœderis Divini, tum ex phrasibus de eo in S. volumine adhibitis. Sunt nimirum *fœdera* Divina non διπλευρα, quemadmodum pacta humana, sed aliquo sensu tantum μονοπλευρα, quatenus Deus hominibus adsignat in fœdere suo magnum aliquod bonum, certo certius illis condonandum, quamvis non sine conditionibus ab hominibus, sed Divina gratia adjutis præstandis. Hanc fœderis Divini notionem enodavit magnus Germaniæ Theologus ERNESTI in *Biblioth. Theolog. Tom. IV. n.* 10. quod ad phrases adtinet, quas S. Scriptura de *fœderibus* Divinis adhibere solita est, inter eas vulgatissimi usus est illa, quam hic reperimus, quâque Deus dicit וכרתי את - בריתי sibi adtribuens pactionem fœderis, quod fœdus ἐμφατικῶς *fœdus suum* vocat, hoc est constitutionem & propositum suum, magno aliquo beneficio homines mactandi & beandi, qui hisce obstricti tenentur ad cultum & obedientiam Deo ejusque legibus præstandam, quod locum conditionis quasi implet. Sic in omni fœdere Divino, quod Deus unquam cum hominibus pepigit, primum semper locum obtinet promissio vel beneficium aliquod certo certius præstandum: sic cum Abrahamo *Gen. XVII.* & quando sermo est de fœdere Dei quod cum Israëlitis fecit, hæreditas terræ illis promissæ vulgo memoratur. Atque hæc est ratio, cur Deus etiam dicatur non tantum cum Noacho & filiis ejus, sed & cum animantibus & omni quod vivit iniisse fœdus *Gen. IX.* quodque memoretur *fœ-*

*dus*

*dus Dei de die & nocte* apud noſtrum Cap. XXXIII. 25.

Quæ autem contra hæc adfert cel. MICHAELIS, non id efficiunt, ut victas dare manus Viro doctiſſimo cogamur. Strictim argumenta ejus luſtremus. Præterimus ſicco pede illud adſertum, Deum, utpote immortalem Teſtamentum condere non poſſe; ſatis enim et probe perſpectum habet Vir cel. qua ratione cum Apoſtolo intelligi velimus, quum de *Teſtamento* Dei verba faciamus: quando porro ex eo quod διαθήκη a τοῖς LXX. ponatur pro ברית, concludat, hos Interpretes Græcam vocem notione *fœderis* uſurpaviſſe, id de quo quæritur, ſibi ſumit, atque principium petere videtur. Nihil præterea lucratur ſibi, quando obſervat, Paulum argumentari ex *Exod. XXIV.* 8. ubi Moſes *ſanguinem fœderis* memorat, adeoque Paulum *de fœdere* loqui, niſi dicere malimus, virum θεόπνευστον in voce ludere, & male rationes ſuas ſubducere. Sed neutrum ſtatuere opus eſt, ſi modo de *fœdere* Divino, quod rationem ſimul *Teſtamenti* habet, ſermonem eſſe, recte meminerimus.

Magis ſtringit, quod tertio loco adducit Vir ingenioſus, argumentum; Paulum nempe novam διαθήκην opponere Veteri. Jam quærit; Quis hic fuerit teſtator? An Deus? ſed is quidem morti non eſt obnoxius. An hoſtiæ? Verum hæ iſtud Teſtamentum non condidere, nec certe Iſraëlitæ earum ſunt hæredes. Verum rectiſſime ſupra nominatus MEDHURST loc. *pag.* 565 reſpondet: non Dei loco ſed Moſis potius, qui illud fecerit Teſtamentum, cujus fuit Mediator, mactanda erant ſacrificia, quo depingeretur Mediator Novi Teſtamenti, qui Teſtamentum ſuum ſanguine ſuo confirmare debuit. ---

Et paucis interjectis opportune addit: *In re seria ludendum aut jocandum non putem.*

Sed, ita pergit Vir doctus, in διαθήκη, cujus apud Paulum mentio, nihil mutari potest *Gal. III.* 15-17. atqui hoc est contra naturam Testamenti, cui sane Testator addere aliqua, aut in quo mutationem instituere queat. Potest autem & huic dubio responderi, si naturam fœderis & Testamenti Divini, quod utrumque bene ordinatum adeoque prorsus immutabile est, satis perspiciamus. Idque vel ex dicto loco *Gal. III.* 15-17. patere poterit, quoniam Paulus *fœdus* & *promissiones* Divinas simul junctim memorat.

Eodem modo concedimus Viro acutissimo, in *Testamento*, si nimirum de humano agatur, requiri, ut ratum sit morte *Testatoris*, non *Mediatoris*; negamus vero de Divino Testamento, cujus *Testator* est *Mediator* fœderis simul. *Hic enim habemus ejusmodi Mediatorem, qui adfirmare poterat, seipsum fecisse Testamentum.* Medhurst *l. c.*

Duo denique adhuc producit Vir cel. phrases scilicet *sanguinis fœderis* & *initiationis* aut *inaugurationis* vix commode ad *Testamentum* adplicari posse; nos concedimus, hisce locum non esse in Testamentis humanis, sed bene quidem in hoc fœdere & Testamento Divino vel ut nonnulli maluere, *fœdere Testamentario*, *Testamento fœderali*, *Testamento-fœdere.* Flacius *in Clav. S. S. Part. I.* V. *Fœdus*, *Testamentum.*

Vocatur autem hic loci *fœdus* חדשה *novum*, quod *antiquo* opponitur, sive antea plane non fuerit, sive saltem hac ratione non fuerit. Adeoque vel omnino *no-*

*vum*,

*vum*, vel *innovatum*, prouti de eodem vel de alio subjecto sermo est. Unde חדשה duplici usu teritur in Sacris. Cum autem vetera sordent, fastidiuntur; nova vero placent, & inde *novum* habetur pulcrum, acceptum, eximium, hinc radici חדש notio *nitoris* adhæsit, collato Arabum خدش *polire ferrum*, & ita *gladium ac cultrum micantem reddere*; locum 2. *Sam. XXI.* 16. ex hac notione illustrare & contra *Hubigantium* vindicare conatus fuit Doct. Scheidius *Specim. observv. ad quæd. V. T. loca* subjuncto *Diss. in Cant. Hiskiæ*, *pag.* 32. Ea tamen notio an cum Viris doctis pro primaria & originaria, an vero pro secundaria tantum habenda sit, dubitari posset cum Vener. *Paris* in *Biblioth. Hag. class. I. fasc.* 1. *pag.* 129.

Sed hæc de vocibus ipsis sufficient, de re ipsa videamus. In locum de fœdere & Testamento Divino me non immitto: nec scopus nec limites hujus lucubratiunculæ illud ferrent. Hoc tantum dico, post lapsum primorum parentum „ Dei fœdus cum hominibus ab Adamo „ inde, usque ad mundi finem & fuisse semper uni- „ cum, & permansurum, scilicet gratiæ (διαθήκη αἰώ- „ νιος vocatur *Hebr. XIII.* 20.) œconomiam autem, „ promulgationem, atque administrationem ejusdem „ diversas subinde induisse facies." Verba sunt Carpzovii *ad Hebr.* pag. 380, 381. speciatim autem hic adtentionem meretur Fœdus *Sinaïticum* cum Israëlitis pactum, de quo *Exod. XXIV.* quod stricte dictum, cum toto populo initum & secundum promissa bona &

ſecundum conditiones tantum fuit literale & corporeum, latius vero ſumtum fœdus gratiæ quidem in ſe continebat & ſupponebat, verum quatenus conveniebat iſti œconomiæ ante mortem Mediatoris, anticipatum quaſi & imperfectum, obfuſcatum etiam variis heterogeneis admixtis. De quibus omnibus nemo adcuratius abſolvit cel. VENEMA *in libris disſertationum ſacrarum*. Vocatur autem hoc fœdus Sinaïticum ſtylo S. Scripturæ *vetus* ſive *antiquum Teſtamentum*, cui hic & alibi opponitur *Novum*, hoc eſt fœdus *gratiæ* plane *novum* & *aliud*, cum relatione ad fœdus Sinaiticum ſtricte ſic dictum, quippe *ſpirituale* & internum; *renovatum* cum relatione ad idem *fœdus* latius ſumtum, quatenus purum, vera ſua natura fulgens, confirmatum morte Mediatoris, bona gratiæ & leges fidei & amoris pure ſpirituales & internas complectitur, glorioſius multo quam unquam antea ſub alia ulla œconomia, quæ poſt cel. VENEMA *in Comment. ad h. l.* digito tantum indicaſſe ſufficit: hoc unico tantum adjecto obſervato, ex toto contextu & præſertim ſequente commate conſtare, non de *renovato*, ſi adcurate loqui velimus, ſed de plane *novo* fœdere ſermonem eſſe, adeoque opponi hic fœderi Sinaitico ſtricte dicto, quod cum Iſraëlitarum majoribus erectum, ab ipſis violatum & a Deo abolitum fuit; cujus in locum hoc *novum* fœdus ſuccederet. Convenit & Apoſtolus *Hebr. VIII.* 13. quum vetus illud *antiquatum* per hoc *novum* fœdus adſeveret.

Denique nec hoc ſine animadverſione præterire licet, verba verſus 31. priora hoc modo adduci ab

A-

Apoſtolo ad *Hebr. VIII.* 8. ut adhibeat verbum συντελέσω, pro eo quod in Hebræo eſt כרתי, nec ſine ratione eum Græcos reliquisſe videri qui habent διαθήσομαι. Nimirum ut non de diſpoſitione tantum, & manifeſtatione ac oblatione hujus novi fœderis, quæ fit per *Euangelium* cogitaremus; ſed de ipſa fœderis *pactione* & *perfectione*, ita ut Deus revera ſcopum ſuum hic adtingat & Iſraëlitas, corda eorum flectendo, in fœdus ſuum traducat, id quod confirmatur ex commate 33.

Fœdus hocce novum pangetur את-בית ישראל ואת-בית יהודה *cum domo Iſraëlis & domo Jehudæ:* De locutione Hebræis perquam familiari, quia *domus* ponitur pro *familia*, *tribu*, *gente*, nil adtinet dicere, ſed hoc potius obſervandum, cum olim בית ישראל totum Hebræorum populum, omnes duodecim tribus denotaret, poſt ſciſſum ſub Rehabeamo regnum, uſu invaluiſſe, ut *Iſraëlis* & *domus Iſraëlis* titulus relinqueretur decem tribubus, dum ii, qui familiæ Davidicæ ſubditi manebant, a *Judæ* tribu adpellari ſolebant. Res notior, quam ut exemplis pluribus confirmari opus habeat. Nonnunquam & priores ſub *Ephraimi* nomine apud noſtrum Vatem veniunt; quia hæc tribus cæterarum facile princeps fuit, conf. MICHAELIS *Not.* 174. in *Epiſt. ad Hebræos.* Neceſſe ideo tantum fuit de hac re Lectorem monere, quandoquidem a multis Interpretibus omiſſa fuit hæc obſervatio, & multum tamen facit ad intellectum hujus pericopæ, ſic enim conſtat, 1° cum toto populo Iſraëlitico hoc erigendum novum fœdus, cum populo X tribuum non mi-

nus ac cum tribubus Judæ & Benjaminis. 2° Literaliter explicandum esse hoc comma de Hebræis absque ut de Ethnicis, de quibus hic altum est silentium, aliquid dicatur. Pertinet quidem hoc fœdus Novum gratiæ & se extendit etiam ad gentes, verum illud nobis non constaret ex hoc oraculo, sed ex aliis divinis promissionibus & prædictionibus concludi debet. V. C. *gentes in semine Abrahæ sibi benedicturas esse.* Cum quibus tamen neutiquam nostrum vaticinium pugnat, secundum Regulam: *Positio unius non est exclusio alterius.* Constat id quod diximus, etiam ex sequenti versu, ubi *patrum* hujus populi mentio fit. Rectissime proin HUBIGANTIUS in NN. ad h. l. *Hæc aperte describunt Judaicam gentem unam, non autem omnes gentes, quæ Novi Fœderis in partem sunt venturæ.* &c.

Quod hactenus in genere promissum fuit *Novum Fœdus*, mox per partes amplius deducitur & ab omnibus dubiis vindicatur: In antecessum quidem opponendo hoc Novum fœdus veteri isti quod quondam cum Israëlitarum majoribus fuerat erectum hisce verbis comm.
32. לא כברית אשר כרתי את-אבותם ביום החזיקי בידם להוציאם מארץ מצרים. *Non secundum fœdus, quod percussi cum ipsorum patribus, eo die, quo eorum manum prehenderem, ut eos educerem ex terra Ægypti.* Satis clara sunt hæc verba, neque multum declarationis opus habent. Notanda tantum est potestas voculæ לא *non*, qua sæpe tantundem dicit, ac *nihil minus quam* tale, conf. VENEMA *ad Malach. pag.* 66. longe aliud itaque ac tota natura diversum fœ-

fœdus promittitur, quam vetustum illud fuerat apud Horebum & Sinai montes conditum, id quod etiam constat ex litera כ servili in כברית, quæ litera, observante Kimchi in libro *Michlol*, *fol.* 15. *ut plurimum inservit ad comparationem instituendam, qua alias diversa inter se conferri solent.* „ Adparet ergo, non „ de uno eodemque fœdere, sed de diversis, iisque sibi „ ἀντιδιηρημένως oppositis vatem nostrum loqui " verba sunt Frischmuthi *cit. Diss.* §. 19. Erectum autem hoc antiquum fœdus dicitur cum Israëlitarum *patribus*, id est, majoribus solito Hebraismo, qui ex Ægyptiaca servitute liberati a Deo in peculium suum fœdusque adsumti fuere; non exclusis ipsorum patrum posteris, conf. *Deut. XXIX.* 15. Indicatur fœdus, quod Deus cum hoc populo sancivisse narratur *Exod. XXIV.* & quod subsecuto tempore sæpius fuit renovatum & integratum tum in campis Moabiticis, *Deut. XXIX.* tum deinde sub piis populi Rectoribus & Regibus Davide, Salomone, Hiskia, Josia & aliis religionis veræ reformatoribus & statoribus. Idem enim mansit per omnia ista sæcula vetus illud Fœdus, recte proin observatum a Cel. Venema ad h. l. non hic cogitandum esse de fœdere Moabitico, sub fine moræ populi in deserto, nec distincta esse illa fœdera, Sinaiticum & Moabiticum; cum tantum Sinaiticum in campis Moabiticis sit renovatum, novaque sanctione interminatoria munitum, quod egregie exsecutus est P. Wigeri *Dissert. de Fœdere Moabitico*, quam jure merito primum locum in *Museo* suo *Hagano* occupare jussit Doct. Barkey. Extra omne dubium collo-

locatur hæc obſervatio ex iis, quæ adjiciuntur, quod hoc fœdus ſit erectum cum ipſorum patribus, *quo die* (inquit JEHOVA) *prehendi ipſorum manum* &c. ſive uti Hebraica proprie ſonant, *in die prehendere me manum ipſorum*, id eſt, *quum prehendi* ביום החזיקי בידם, quem Hebraismum ſecuti ſunt οἱ LXX & Apoſtolus *Hebr. VIII.* 9. ἐν ἡμέρᾳ ἐπιλαβομένου μου τῆς χειρὸς αὐτῶν κ. τ. λ. Sibi autem Deus vindicat, quod ex Ægypto fuerint liberati, ipſi enim erant imbecilles, inermes non tantum ſed et ſervili ut plurimum ingenio ſicut conditione, in quibus itaque nec ratio nec vires, quibus ſemetipſos in libertatem vindicaſſent. Sæpe enim verum deprehenditur, quod de *ſervis* cecinit poetarum Princeps HOMERUS *Odyſſ. XVII.* vs. 322.

Ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείρεται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσι.

*Dimidio mentis deprivat Jupiter illos*
*Servilis quoscunque viros ſors ceperit unquam.*

Atque ita ſoli Deo honos libertatis ſuæ debitus fuit ab Iſraëlitis, ſed præterea innuunt hæc verba gratioſam Dei ductionem, non inſtar duri exactoris, verum inſtar benigni Paſtoris et Regis, qui populi ſui curam gerit, *Exod. XIX.* 4. *Deut. XXXII.* 10 - 12. *Hoſ. XI.* 1 - 3. Denique characteres hujus veteris fœderis hic delineantur 1. Erectum fuit cum majoribus Iſraelitarum, itaque ad hunc populum tantum pertinebat *Pſ. CXLVII.* 2. Beneficium maximum memoratur liberatio

Iſra-

Iſraëlitarum ex Ægypto, et introductio in Cananæam, quæ hic quidem reticetur, ſed neceſſarium cum illa nexum habet, ut in illa regione Dei populus forent ſecundum ejus leges et inſtituta ſub Theocratia vivens, et bonis ac donis temporalibus abundans; totum ergo fuit temporale et corporeum. 3. Non æternum aut ſine fine duraturum fuiſſe iſtud antiquum fœdus, monſtrant verba ſequentia, de quibus mox dicendum erit. Cum autem Novum fœdus non futurum ſit ſicut hoc vetus, ſed omnino contrarium et e diametro ipſi oppoſitum, ultro jam patet, quænam ejus natura foret, nempe ſe ulterius ad gentes etiam extendens, ſpiritualis et interna ac æternum duratura, quæ in ſequentibus dilucidius exponuntur. Nunc conferatur Wits. *Oecon. Fœd. Div. Lib. IV. cap. XIV. §. 18.*

Quæ mox ſequuntur, quibus abolitum hoc fœdus dicitur, paulo difficiliora ſunt verba: אשר-המה הפרו את-בריתי ואנכי בעלתי בם נאם-יהוה *pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus.* Ita Vulgatus. οἱ LXX. (vel quisquis demum Interpres hujus libri Græcus ſit in Ed. Bosii cap. XXXVIII.) longius recedunt, hoc modo reddentes: ὅτι αὐτοὶ οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, καὶ ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν, φησὶ κύριος; quos preſſe ſequitur Apoſtolus *Hebr. VIII.* 9. niſi quod pro φησὶ Κύριος habet λέγει ſenſu eodem. In hiſce notandum primo, particulam אשר a *Vulgato* relativa ſua ſignificatione ſumi *quod pactum*, a Græco autem, tanquam cauſſalem conſiderari, vertique ὅτι, ita ut hæc verba rationem in ſe contineant, quare aliud fœdus fuerit erigendum, quia nempe prius illud tum ru-

ruptum ſit a populo, tum a Deo abolitum. Poſſe utraque ratione illud אשר ſumi clarum eſt; poni enim ſæpiſſime pro על-אשר *propterea quod*, docuere Interpretes, ab altera parte licet בריתי ſequatur, poteſt tamen אשר relativam retinere ſignificationem; ſenſu utraque ratione ſalvo quod ad rei ſummam; hoc ſolo diſcrimine, quod ſi אשר vertas relative *quod pactum*, tum ו in ואנכי eo referendum, & vertendum erit *ideo*, *propterea*, hoc modo, *quod pactum meum irritum fecerunt*, *ideo ego illos faſtidivi*; de quo uſu ו conſ. NOLDIUS *de particulis*. præterea præteriti temporis in הפרו ratio petenda tunc erit ex *ſcena prophetica* recte figenda, quomodo antea jam monuimus.

In verbo הפרו vertendo ſenſum non vim expreſſerunt Vulgatus & Græci, פור enim proprie eſt *bullivit*, vehementer *æſtuavit* & cognatum פרר, a quo forſan ex opinione SCHULTENSII *Gramm. Hebr. pag.* 364. הפרו deſcendit, & פרפר apud Arabes ſuperſtes proprie dicit *fringere*, *infringere*, veluti aciem rei per multas crenas & inciſuras, ut plane irrita reddatur.

Atque hinc patet, quam vim vocabulum hic exſerat: ſemper quidem Iſraelitæ duræ cervicis populus fuere & ſæpiſſime relicto Deo vero, ad idola ſe contulere, idololatriæ ſe tradentes, & licet idololatriæ craſſiori poſt reditum ex captivitate Babylonica nuntium miſerint, & legi Rituali adhærere viderentur, tamen aliorum & enormium peccatorum rei, de quibus arguuntur a JESU CHRISTO & Apoſtolis, tandem Meſſiam Dominum Deumque ſuum rejicientes, omnino confregerunt fœdus illud Divinum. Hæc autem rebellio po-

populi fœdifragi antecederet & caussa foret, cur fœdus hoc a Deo aboleretur & antiquaretur, quod dicitur ואנכי בעלתי בם. Quæ verba nonnullam habent difficultatem, tamen a doctis dudum maximam partem sublatam, ideoque hic digito tantum tangendam. Difficultas in eo sita est, quod interpretes communissime vertant *ego ipsos in matrimonium duxeram*; sic & nostrates Belgæ: *quamvis eos in matrimonium duxissem*. Sed quantum intersit inter hoc & ἠμέλησα αὐτῶν quod Græcus & Apostolus habent, quivis facile perspicit. Atque hæc ratio est, cur varii varia tentarint! nonnulli pro בעלתי corrigendum censuere געלתי *fastidivi*, *abjeci*, *repudiavi*, inter quos nuperrime nomen professus est suum HUBIGANTIUS, quin & ab aliis בחלתי obtrusum, *lingua invitâ*, quemadmodum pronuntiat SCHULTENSIUS. Nihil tamen difficultatis remanebit, si audiamus POCOKE in *Not. ad Port. Mosis*, *pag.* 6-9. בעל cum ב constructum, uti hic, apud Arabes denotare *fastidio & tædio adfici*, monentem; id quod harum literarum periti ambabus amplectuntur manibus Vid. WOLF *Cur. Philol. ad Hebr. l. c.* CARPZOVIUS *ad Hebr. pag.* 372. MICHAELIS *not.* 176. Cæterum de verbo בעל ejusque primaria notione, quam in *turgendo* ponit, pluribus commentatur ὁ πάνυ ad *Prov.* XXX. 23. ubi *pag.* 480. & nostrum locum ad partes vocat, atque exponit. Hac notione adsumta, schema foret egregium a viro, uxori suæ repudium mittente, eamque res suas sibi habere jubente, desumtum. Esset ergo hic אנכי בעלתי בם Ego omnem zelotypiæ meæ æstum in illos effudi, vinculum matrimonii, quo me-

mecum conjuncti erant, plane rupi, fœdere abolito, uti recte cel. VENEMA ad h. l. eodem prorsus modo exponi debet phrasis nostra supra Cap. III. 14. Utque illud eo melius intelligatur, sciendum est, fœdus hoc antiquum Dei cum Israële sub figura matrimonii proponi apud Prophetas, ubi JEHOVA maritus, Israëliticus populus uxor, populi rebellio & defectio ad idola adulterium & pœna atque expulsio ex terra sua & patriis sedibus repudium & solutio matrimonii audit. Conf. *Ezech. XVI. Jer. III.* & alibi. Docetur itaque hisce verbis propter fœdifragos populi Israëlitici mores Deum illum expulisse e terra sua, & plane ac omnino abolevisse fœdus illud antiquum, privando populum omnibus istis bonis ac prærogativis, quæ isti fœderi erant adnexa; & sic videmus rationem, quare novum fœdus sit erigendum vs. 31. alius longe naturæ ac præcedens istud vs. 32.

Sequitur jam ipsa descriptio ulterior & amplior naturæ fœderis Novi; cui præmittitur præmonitio, jam declaratum iri fœderis Novi ipsam naturam verbis positivis, addita confirmationis & auctoritatis formula solenni hisce verbis: כִּי זאת הברית אשר אכרת את־בית ישראל אחרי הימים ההם נאם־יהוה, *Sed hoc est fœdus, quod pangam cum domo Israëlis post illos dies, inspiratum* JEHOVA. vs. 33. Memoratur *domus Israël*, cum qua fœdus erigatur, quæ dictio hic latiore sensu est capienda quam quidem supra vs. 31. includit enim hic simul *domum Judæ*, cujus ibi separata mentio, atque adeo totum populum Israëliticum denotat, ratio est, quia per hoc Novum fœdus bini hi populi Israë-

li-

liticus et Judaicus per tantum temporis ſpatium diſtin-
cti & ſeparati, coadunarentur, & in unum populum,
unum corpus redigerentur; qua de re & ſæpe alias va-
ticinati ſunt Prophetæ *Eſ. XI.* 13. *Ezech. XXXVII.*
Additur, quod minime prætereundum, temporis nota
*post hos dies*; poſſes hoc tenuiore paullum ſenſu ſume-
re pro *deinde*, *poſtea*, *post hæc*, Belgice *na deezen*, ut
tantum generatim tempus futurum indicaretur: ſi vero
preſſius phraſi inhæreas, aliquid ſingulare ſeſe offert;
dictum fuit vs. 31. *ecce dies veniunt*, *quibus &c.* nunc
dicitur *post illos dies*, cum tamen de eodem ſubjecto
fœdere novo erigendo, ſermo ſit. Cel. VENEMA *ad
h. l.* ideo obſervavit, eo innuere voluiſſe Oraculum:
„ Fœdus diebus proxime futuris erigendum tempore
„ Meſſiæ effectum univerſalem non habiturum inter
„ Judæos & Iſraëlitas, niſi ſub finem illorum die-
„ rum, quando totus Iſraël ſalvabitur;" h. e. fœderis
pactionem *post illos dies* in omni vigore ſuo demum
futuram eſſe. Obſtat, quod jam vs. 31. ſermo fuit,
uti obſervavimus, de fœdere non tantum manifeſtato &
oblato ſed reapſe pacto, & effectum conſecuto, ipſo
confitente Viro celeb. Poteſt etiam, ſi quid video,
alia ratione huic dubio ſatisfieri. Dixerat Numen, im-
mediate antecedentibus verbis, ruptum a populo fœdus,
propterea ab ipſo quoque abolitum fuiſſe, populo re-
jecto & expulſo. Jam per aliquod & id ſatis longum
temporis ſpatium illa rejectio duraret, ſed tamen tan-
dem aliquando Deus miſericors gratiam cum populo il-
lo exercebit. Eo itaque referri commode poſſent *hi
dies*, de quibus hic mentio: *post illos rejectionis dies*

pangam fœdus meum cum omni populo Iſraëlitico, cujus fœderis natura & bona hæc ſunt.

Natura fœderis eſt, ut ſit totum ſpirituale & internum, ſimul efficax, ita ut populus conditiones fœderis reapſe præſtaret, non amplius inobediens & rebellis, ſed ſanctus Deoque ſubjectus נתתי את־תורתי בקרבם ועל-לבם אכתבנה *dabo*, vel *dedi legem meam in medio eorum, ita ut eam ipſorum cordibus inſcribam.* Reſpicitur dubio procul hiſce verbis ad inſcriptionem legis Decalogicæ, tabulis lapideis olim ab ipſo Deo ſemel iterumque factam, opponiturque adeo lex ὁ Νόμος ἐν καρδίαις, ſeu ἐν πλαξὶ καρδίας τῷ Νόμῳ ἐν πλαξὶ λιθίναις. 2. *Cor. III.* 3. Obſerva, Deum hic non loqui de nova lege, ſicut de Novo Fœdere. Decalogus enim, quatenus legem moralem in ſe continet, non mutabitur, neque aboleri unquam poteſt: lege VITRINGA *Tom. II. Obſ. ſacr. Lib. VI. cap. XVIII.* §. 8. *de libertate credentium N. F. a lege Moſaica morali.* תורה, quod vi originis *inſtitutionem artis* denotat *ad ſcopum feriendum*, metaphora ab arte jaculatoria petita, radix enim ירה eſt *jaculari* in Hiphil הורה *facere, ut quis recte jaculetur*, eam artem docere; unde תורה *inſtitutio*, ſumitur de lege ſeu doctrina Euangelii, quæ hominem ad optatum finem, æternam ſalutem perducere apta nata eſt *Eſ. II.* 3. nec opus proin eſt, ut cum CARPZOVIO *ad Hebr. pag.* 375. vertamus *Verbum meum ſanctum* potius quam *legem meam.* Recte autem Veteres Interpretes Verba *dabo legem meam in medio ipſorum* non ſimpliciter eo ſenſu expoſuerunt, quod Deus, uti quondam, legem ſuam inter Iſraëlitas daturus

rus ſit, ſed ſpeciatim *in viſceribus ipſorum*, quemadmodum *Vulgatus*, vel ut Græcus διδὺς δώσω, (ſic Hebraismum adfectat, qui ſæpius in V. T. ſed tamen hic loci non occurrit,) νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, vim verborum ex ſequenti membro bene adſecuti, *inſcribam eam cordibus ipſorum*: habent enim hæc duo membra inſeparabilem ſecum invicem nexum, ut ferme pro ſynonymis haberi poſſint, & mutuo ſe explicent: quod ulterius patebit, ſi ו particulæ in ועל-לבם vim declarativam tribuamus cum VRIEMOET *ad dict. Claſſ. Tom. II. p.* 276, 277. & NOLD. *in Concord. partic.* conf. librum Belgicum cui titulus *Academia Eruditorum, Tom. III. Num. III. p.* 278. atque ea demum vera cauſſa eſt, cur Apoſtolus *Hebr. VIII.* 10. & *X.* 16. non uno modo verba adducat: priore διδὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς, poſteriore, inverſo ordine διδὺς νόμους μου ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τῶν διανοιῶν αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς. Ex quibus omnibus ſimul patet, aliquid amplius hanc Dei promisſionem ſibi velle, quam quidem putat poſt GROTIUM CLERICUS tum in *Arte Crit. Part. II. Sect. I. Cap.* 4. §. 9. tum ad h. l. ſcribens: „ Nempe ita memoriæ eorum inſcribam, ut ejus obliviſci non poſſint, neque monitoris opera neceſſaria ſit futura." A quo non multum abludit cel. MICHAELIS *Not.* (177) cui quidem concedimus, *cor* ab Hebræis pro ſede animi rationalis haberi, quemadmodum apud nos vulgo *caput*, unde aliquid in corde ſcriptum habere ſignificat, bene intelligere & in memoria tenere, ſed quid hæc ad noſtrum locum, *legem meam eorum menti indam*,

 ita

*ita ut eorum cordi ipsam inscribam?* quæ dictio longe melius confertur cum promissionibus aliis Divinis V. C. *Deut. XXX. 6. Deum circumcisurum cor Israëlitarum & cor seminis ipsorum. Ezech. XI.* 19. & *XXXVI.* 26, 27. *Deum ipsis daturum cor novum & spiritum novum.* Cæterum naturam hujus novi fœderis indicari autumem, quod non externis ritibus & ceremoniis absolvatur, literale scilicet, sicut Sinaïticum stricte sic dictum, sed quod internum totum atque spirituale, quod optime illustravit Paulus 2. *Cor. III.* consisteret in recta cognitione intellectus & sancto cultu voluntatis, ita ut secundum legem spiritualem fœderati Deum colerent & adorarent in spiritu & veritate, *Joh. IV.* quæ latius non deduco.

Tempus enim est, ut pergamus ad Novi *hujus* fœderis, cujus Natura & indoles in genere erat proposita, bona et prærogativas. Memorantur distincte tria bona fœderis vs. 33, 34. quorum unum est radicale, duo reliqua inde profluentia, quæ præmittuntur, indicium hujus rei præbente particula כי vs. 34, uti bene observavit cel. VENEMA. Primum bonum, quod memoratur, est arctissima communio et relatio inter Deum et Israëlitas, hac formula fœderali proposita: והייתי להם לאלהים והמה יהיו־לי לעם. *Et ero illis in Deum, & illi erunt mihi in populum.* De qua formula sæpius occurrente, nihil magnopere est quod addam, constat exoptanda quævis in illa contineri; quando Deus promittit, *se fore alicui in Deum*, cunctam beatitudinem illi addicit; sicut reliquis verbis *obedientia* sancta omni Divinæ voluntati includitur, quod

quod poſt BOCHARTUM *Phaleg. II.* 1. *pag.* 67. multi monuere. De vocibus ipſis duo tantum notari merentur, 1° formam pluralem אלהים reſpicere mihi videri pluralitatem perſonarum Divinarum dixi in *Comment. ad Cant. Hannæ, pag.* 71. cujus obſervationis me nondum pœnitet; ſingularem enim opinionem Jo. NIC. RICHTERI in *Bibl. Hag. Claſſ. IV. faſc. I. pag.* 9. אלהים, ארנים, צבאות eſſe Angelorum nomina, quando autem de Deo uſurpantur, ſubintelligendum eſſe nomen יהוה, recte rejecit Jo. CAR. BONNET ibid. *Claſſ. V. faſc.* 2. *pag.* 227. 2° Alterum quod obſervari meretur, eſt, voculam עם ‏עַם‏ גוי ſæpe contradiſtingui, ut ſit populus liber, ſui juris, & in ſocietatem coadunatus ſub ſuis legibus, populus honoratus & felix. Quæ obſervatio huic loco nonnihil lucis adſpergit, & mox ulterius declarabitur ad verſum 36. Continetur itaque hac formula ſequens promiſſio: per prius fœdus Iſraëlitarum majores in populum Dei erant adſumti, ſub tutela & cura Dei peculiari, Theocratiæ ſubditi, jam hic favor Dei iterum & inſigniori plane modo erga hunc ſuum populum ſe manifeſtabit, veteriſque memor gratiæ ipſum pro ſuo agnoſcet. Conferri meretur vaticinium *Hoſ. II.* 22.

Subjungitur mox alterum bonum hujus Novi Fœderis oppoſite ad Vetus Fœdus, quod negativis verbis primo profertur: vs. 34. ולא ילמדו עוד איש את-רעהו ואיש את-אחיו לאמר דעו את-יהוה. *Et non docebunt amplius vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicendo, cognoſcite* JEHOVAH; mox poſitivis confirmatur: כי כולם ידעו אותי למקטנם ועד-גדולם נאם-יהוה *nam* vel *ſed omnes cognoſcent me a magno ipſorum uſque*

*que ad minimum eorum*, *inspiratum* JEHOVAH! Habetur hoc comma pro difficillimo, ita ut vel 14 diversas interpretationes horum verborum produxerit J. FECHTIUS, citante WOLF. *in curis Philol. ad Hebr. VIII.* 11. multi promissionem hanc retulerint ad vitam futuram beatasque Cœlestium sedes, ubi procul dubio omnis cura docendi cessabit, (conf. FRISCHMUTHI Diss. cit. *pag.* 863. §. 12.) ignari, regulam esse apud Judæos in *Massechet Berachoth*, *cap.* 5. *R. Jochanani* adscriptam, *omnes Prophetæ prophetarunt ad dies Messiæ sed seculum futurum! nullus oculus illud vidit*; confirmatam, ut videtur, a Servatore *Matth. XI.* 13. *Omnes Prophetæ & Lex prophetarunt* ἕως Ἰωάννου. Difficultas in eo sita, quod Pseudomystici ex hisce ansam arripuerint sibi imaginandi, omnem institutionem & doctrinam in rebus Divinis esse vanam, neque nobis opus esse Verbo scripto, quia omnes θεοδίδακτοι erunt, a Spiritu ipso edocti & inspirati, lumen aliquod internum crepantes. Quum tamen recte verba consideremus, statim ad oculum patebit, non ita difficilia illa esse, ac quidem vulgo habentur. Videamus per partes: & primo quidem quum dicitur: *Non docebunt amplius vir proximum suum & vir fratrem suum dicendo cognoscite* JEHOVAH: Noto 1° verbum למד *discere*, in *Hiphil docere*, etiam significare posse *stimulare*, *exhortari*, metaphora ducta a מלמד *stimulo*, quo boves aguntur & reguntur, quem probe descripsit *Maundrell* in Itiner. suo, conf. PAULSEN *de Agricult. Orientt. pag.* 131: quamvis hanc notionem non pro primaria haberem, quorsum inclinare videtur VENEMA *h. l.* & *ad Psalm. Tom. II. pag.* 420. cum stimulus מלמד dubio procul a verbo למד

fit

ſit deducendus & ſignificationem ſuam acceperit. 2 ° In conſtructione *vir fratrem*, *&* *vir proximum ſuum* Hebraismus eſt, quo איש pro *unoquoque*, *quolibet* ponitur, quem Latine ſimpliciter ita vertere poſſes: *& non amplius ſemet invicem docere & exſtimulare opus habebunt:* videnda ſunt loca 1. *Sam.* *XV.* 41. *Gen.* *XI.* 3. *XXVI.* 31. *&c.* nil eſt itaque, cur cum JUNIO *Anal. pract. pag.* 436. per איש Judæos & per *proximum* gentiles intelligeremus. Cæterum optime plura Hebraismi genera hic indicavit FRISCHMUTH c. l. *pag.* 863. §. 17. 3 ° Omittendum haud eſt, verbum ידע vim hic exſerere prægnantem, adeoque non ſimplicem cognitionem, verum & ejus effectum, ſive rectum Dei cultum ſimul involvere & denotare; obſervarunt hoc plures & res ſatis conſtat: alioquin Lectorem remitterem ad G. F. DE ÖR *ad Cant. Hannæ, pag.* 18. aliosque. Non itaque hanc cognitionem Dei reſtringere opus habemus ad cognitionem Myſterii S. Trinitatis cum CARPZOVIO *ad Hebr. pag.* 376. Denique quod maxime ad rem facit, opponitur hic Novum fœdus Antiquo; ſi ergo conſtat, qua ratione antea ſemet invicem cognitionem & cultum JEHOVÆ docuerint & ad eum excitaverint, facili negotio intelligemus quid hic proprie promittatur. Nimis cel. MICHAELIS (Not. 177. *ad Hebr.*) cognitionis defectum ſub œconomia Moſaica augere mihi quidem videtur; non fuiſſe inſtitutionem publicam, nec Doctores publicos nec Synagogas, in quibus Leges Divinæ prælegebantur, quæ omnia tandem poſt reditum ex Babele locum cepiſſe disputat. Licet præſens noſtrum inſtitutum non ferat, de origine Synago-

garum aut institutionis publicæ inter Judæos disserere, sufficit tamen ex ipsis Jeremiæ verbis constare, institutionem aliquam locum habuisse, & quidem talem, quæ cum auctoritate aliqua in præscribendo, quæ credenda aut facienda erant circa cultum Divinum, erat conjuncta. Et sane pandectas Divinas consulentes invenimus quædam quæ ad illustrandum locum nostrum faciant: Habebant scilicet Israëlitæ ne de extraordinariis Doctoribus, Prophetis a Deo immediate missis aliquid dicamus, ex instituto Mosaico tribum Leviticam & familiam sacerdotalem tanquam religionis publicæ administros & vindices, quorum erat populum instruere, illi Leges et cultum Divinum explicare, quin et de rebus ad sacra pertinentibus sententiam ferre et pronuntiare cum auctoritate immorigeros puniendi, *Levit.* X. 10,11. *Deut.* XXI. 5. coll. *XVII.* 12. sic *Mal. II.* 7. *Labia Sacerdotis custodient sapientiam*, & *legem quærent ex ore ejus.* Exemplum habes *Hag. II.* 12. ubi Propheta populum ad Sacerdotes remittit ad sensum legis cujusdam intelligendum. Eoque magis ejusmodi institutione cum auctoritate opus tunc erat, quoniam sublimes maxime veritates sæpe sæpius involucris rerum corporearum et sensualium erant involutæ: ritibus plurimis ornata erat Religio, qui res delineantes spirituales non omnibus et singulis de plebe Israëlitis statim patebant, ita ut sine explicatione ulteriore spiritum legis sub litera latentem indagare possent. Nec abs re foret, si statuamus, Christum sospitatorem idem innuere voluisse per *clavem cognitionis*, *Luc. XI.* 52. sic intelligemus quid sibi velit *sedere in cathedra Mosis*, *Matth. XXIII.* 2.

Non

Non potuit non fieri, quin in talibus circumſtantiis cognitio Dei apud multos foret exigua, & cultus ejus nimis corporeus in opere operato ſubſiſtens, ſed hoc ſub N. Fœdere de quo hic ſermo eſt, locum amplius non haberet, contra ea, quemadmodum poſitivis verbis additur; *omnes cognoſcent me, a parvo eorum usque ad magnum eorum*; *omnes* hoc eſt cujusque ſtatus & ordinis, *a parvo eorum ad magnum eorum* ſine diſcrimine ætatis aut dignitatis, ad utramque enim Hebraismus hic ſe extendit, non enim hic de *parvis* & *magnis* ſenſu ſpirituali cogitandum eſt, recte monente CARPZOVIO ad Hebr. pag. 377. *cognoſcent me*, *Inſpiratum* JEHOVAH! Docent hæc verba, uti manifeſtum e modo dictis; hanc fore fœderis N. prærogativam: 1. ceſſaturam omnem auctoritatem humanam in rebus fidei & pietatis, Deo ſolo *regnante*; 2. omnes fœderatos ergo dependere a Deo ſolo, ejusque verbo ac ſpiritu. 3. cognitionis menſuram uberiorem & ampliorem fore; 4. Univerſaliorem 5. quia natura fœderis N. foret ſpiritualis, ideo etiam omnes fœderis conſortes non pertinaciter literæ & rebus ſub ſenſus cadentibus inhæſuros, ſed ad ipſum ſpiritum penetraturos; denique 6. omnes æque fervidos fore in cultu veræ et rationalis religionis exercendo, Deique gloriam promovendo. Si hac ratione verba capiantur, ut capienda omnino ſunt, non video, quid difficultatis remaneat, aut quid Pſeudomyſtici pro interno ſuo lumine, quod crepare ſolent, inde ſint lucraturi, æque minus ac ex locis ſimilibus *Es. XI.* 9. *LIV.* 13. 1 *Joh. II.* 27. et aliis.

Memoratur denique bonum radicale & fundamenta-

le fœderis Novi in ſuperioribus promisſi hiſce verbis: כי אסלח לעונם ולחטאתם לא אזכר־עוד *nam propitiabor iniquitati eorum & peccata eorum non memorabor amplius* ita Vulgatus; Græcus habet ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. Scriptor Epiſtolæ ad Hebræos addit καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν, absque ut opus ſit vocabulum illud cum *Grotio* illic loci delere. Continetur his verbis præcipuum fœderis Novi bonum quod rationem & fundamentum reliquorum in ſe continet, eorum quaſi fons & radix, unde profluant & propullulent: male ea cepiſſe videtur *Grotius*, dum, *ſenſus eſt*, inquit, *quia oſtendi (tantis nempe benefactis) me veniam dediſſe ipſis criminum, neque ultro ea velle exſequi.* A quo non multum abludit cel. MICHAELIS: *hoc eſt reducam eos ex captivitate Babylonica, quorſum abducti erant propter ruptum fœdus Moſaicum.* Longius uterque a verborum ſimplici ſignificatione abit, quæ nihil aliud indicant niſi Deum condonaturum omnia peccata Iſraëlitarum, nec eorum fore amplius memorem. Ad intellectum verborum facit, membra elegantiæ cauſſa diviſa hoc modo eſſe ordinanda, *iniquitates & peccata ipſorum placatus condonabo, nec recordabor* obſervante ad rem Cel. VENEMA, qui hujuscemodi conſtructionis verborum exempla pasſim in ſcriptis ſuis Exegeticis collegit: poſſes etiam iterum copulæ ו ſenſum declarativum adtribuere, quemadmodum in ſuperioribus habuimus, hoc ſenſu, *perverſitatem eorum* (id enim עון) *ita plene condonabo*, (ineſt enim verbo סלח ſignificatio plenariæ a placato Deo condonationis et remisſionis peccatorum) *ita ut amplius eorum memor*

*non*

*non fuero* vel *non commemoravero:* Verbum ſcilicet זכר non tantum *recordari*, *meminiſſe* ſed et *memorare*, *commemorare* denotat; *Jerem. II.* 2. זכרתי *commemoro tibi ſtudium juventutis tuæ*, ſive, *meum erga juventutem tuam;* inquit Deus, recenſens beneficia et indicia favoris ſui in Iſraelitas collata. COCCEJUS in *Lexico*. *Recordari* itaque *peccata* eſt 1. recentem et vividam eorum habere memoriam, 2. ea omni loco et tempore commemorare et ad ea advertere animum denique 3. ipſo facto id demonſtrare, ea puniendo et caſtigando. Uno verbo innuit talem *recordationem* quæ ad aliorum pervenit notitiam, ſicut Lexicographi Arabici radicem per *memorare* explicant: nota eſt formula ſollennis זכר את - שם אלהים *recordari nomen Dei* id eſt memorare, celebrare, colere vid. *Spencer. de legg. Hebr. Lib. II. cap.* 5. *p. m.* 249. Ex his itaque clarum eſt, *non recordari peccata* tantundem eſſe ac illa condonare et remittere, 2 reconciliari plenisſimo modo cum peccatore, 3 cum ſacrificia eſſent ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν *Hebr. X.* 3. illa jam cesſare nec opus amplius eſſe. Conf. CARPZOV. *ad Hebr. pag.* 379.

Verum qua ratione hæc verba connectuntur cum præcedentibus? non ſatis ſe perſpicere ait cel. MICH. *ad* PEIRCE *Comment. ad Hebr.* quomodo cohæreat, quod omnes cognituri ſint Deum, cum remisſione peccatorum, et inde profluat. Ratio dubitationis eſt, quod כי cauſſale vir cel. reſtringat ad proxime præcedens tantum, cum referendum ſit ad totam pericopam, qua fœderis novi nara et bona recenſita ſunt. *Quod non obſervatum interpretes in devia rapuit*, ſicut adjicit judicii magni vir cel. VE-

N-

NEMA, peccata nimirum obicem ponunt, quominus Deus ſanctus communionem et ſavorem ſuum largiatur peccatoribus, quibus remisſis et expiatis, cuncta omne genus bona et dona in eos conferre poteſt et vult.

Huc uſque Vaticinium noſtrum verſatum fuit in explicandis et declarandis fœderis Novi natura bonisque: Sequitur jam vs. 35-40. Solutio Dubiorum, quæ promisſionis hujus implementum impedire videri poſſunt. Separanda enim hæc a ſuperioribus non videntur, tanquam novam conſtituant pericopam, licet formula כה אמר יהוה hiſce præmittatur, illa enim ratio non ſatis valida videtur, quia ſæpius hæc formula a prophetis inſeritur orationi quantumvis continua ſerie procedenti, nec ſemper indicium ſecum fert novæ alicujus pericopæ, quia nimis breve foret interciſum vs. 35. 36. duobus itaque tantum commatibus comprehenſum: rogo præterea, an hæ pericopæ nullam plane relationem habeant inter ſe? & annon excogitata hæc diſtinctio pericoparum ſit ad difficultates, quas ſibi formarunt Interpretes, evitandas, atque adeo nodum ſecandum potius quam ſolvendum? præterea, ne nimius ſim, non ſine emphaſi hic repetitur, licet procedente oratione, formula *ſic dicit* JEHOVAH, quia tranſitus ſit ad dubia, quæ obmoveri queant contra promisſiones divinas & revera obmoventur, ut itaque occurratur incredulitati & confirmentur dicenda.

Primum dubium contra promisſionem Divinam inde oritur, populum Iſraeliticum ita disperſum esſe inter omnes totius orbis terrarum populos, ut res miraculo proxima ſit, ſi iis non miſceatur, et tandem cum illis

coa

coalescat, atque adeo non possit amplius esse populus Dei liber, sui juris, fœderatus. Habemus disertis verbis, illud dubium revera motum esse ab incredulis infra apud nostrum *Cap. XXXIII.* 24. *Contemtim rejiciunt populum meum* (את - עמי), *ne sint amplius gens* (גוי) *coram facie mea illi.* h. est, rejectum a me, declarant & palam objiciunt: ad quem locum omnino cl. Interpres consulendus est. Id quod dicta nostra confirmat.

Huic dubio opponitur adseveratio gravissima a parte Dei, æque minus cessaturam gentem Israeliticam ac leges naturæ æternas & inviolabiles, id quod simul egregie facit ad confirmandum quod de fœdere Novo ejusque natura in antecedentibus erat prædictum. Priusquam directe respondetur ad motum dubium, præmittitur descriptio augustissima summi rerum moderatoris:
vs. 35. כה אמר יהוה נתן שמש לאור יומם חקת ירח
וכוכבים לאור לילה רגע הים ויהמו גליו יהוה צבאות
שמו.

Qui loquens introducitur, Deus nomine suo & titulo insignitur יהוה צבאות, quo encomio Deus Verus, Deus Israëlitarum in sacris ornari solet, tanquam ipsi proprio *Es. XLVIII.* 2. *LI.* 15. et apud nostrum Vatem *Cap. XLVI.* 18. *XLVIII.* 15. &c. צבאות sunt *exercitus*, Deoque tribui hic titulus videtur cum respectu ad XII. tribus Israëlis, quas tanquam exercitum suum dux & imperator Deus ex Ægypto per desertum duxit in Cananæam, sed et cum respectu ad Astra, solem ac lunam, quæ *exercitus cœli* nomine in sacris literis veniunt, atque Idololatriæ objecta esse solebant, præ quibus ergo Deus verus effertur, cui subjecti illi sunt. Quæritur in-

inter Philologos, num צבאות ſit nomen Dei proprium, quaſi dicas, παντοκράτωρ uti Græci habent & in N. T. ſæpe occurrit conf. *Bibl. Hag. Claſſ. IV. faſc.* 2. *pag.* 214. ſqq. Dubito de eo vehementer, potiusque plenam dictionem eſſe credo יהוה אלהי צבאות, nec obſtat, quod ſæpe occurrat אלהים צבאות, manente אלהים in ſtatu quem vocant abſoluto, ſic enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda vox אלהי, quemadmodum *Joſ. III.* 14. הארון הברית, nec tamen ubique opus eſt hanc Ellipſin ſupplere, quia uſu tandem invaluit, ut צבאות nomen quaſi Divinum cenſeretur, quæ etiam vera cauſſa videtur, cur N. T. Scriptores alicubi Σαβαὼθ retineant *Paulus Rom. IX.* 29. *Jacobus cap. V.* 4.

Deſcribitur porro ſummum Numen ab operibus ſuis magnificentiſſimis tanquam ſummus moderator orbis: Participium נתן communiter interpretes reddunt *dans* vel *qui dat*, ut Vulg. Græci ὁ διδοὺς, ſed multo efficacius ſecundum uſum & vim verbi נתן vertiſſent, *ponens ordinans*, ſpecialior enim notio *dandi* in hoc verbo eſſe videtur. Coccejus in *Lexico* generaliorem ei tribuit, *facere ut quid ſit*, cui conſentit Gussetius in rad. נתן. Sic N. T. ſcriptores ſuum ἔδωκε adhibent, ut *Epheſ. I.* 22. ἔδωκε Deus Chriſtum Eccleſiæ caput ſuper omnia &c. conf. Conr. Iken. *Exerc. ad Sepult. Chriſti Bibl. Hag. Claſſ. II. faſc.* 2. *pag.* 248.

Cæterum vocabulum חקת *ſtatuta firma*, νόμοι apud Græcum interpretem, *leges naturales*, rectiſſime Cel. Venema, utpote in medio poſitum ad utrumque refert ad Solem, Lunam, aſtra, mariſque commotiones a Deo certis fixiſque legibus adligatas regendaſque præci-

cipue ob verſ. 36. in quo חקת ad cuncta hæc extenduntur. Indicari his חקות vel חקים feſta ſolennia & ſtata tempora Iſraelitis obſervari ſolita, ſuoque ordine recurrentia putat CLERICUS; nimis reſtricte: Videntur potius quæ hic dicuntur, ex narratione Moſaica *Gen. I.* 15. 16. deſumta & eo adludere, coll. *Gen. VIII.* 22. ubi Deus diſerte æternitatem & durationem horum ſtatutorum generi humano promittit. Eo autem conſilio ſpeciatim Moſes hæc narrationi ſuæ de creatione inſeruiſſe videtur, ut idololatriæ & ſolis aſtrorumque Cultui obviam iret & obicem poneret; ſed & ſi quosdam doctos Theologos audiamus, cum *Gen. I.* 14. ea fore dicat לאותות *in ſigna*, id voluit, nos in legibus naturalibus, ſecundum quas Sol, Luna cæteraque aſtra ſuum peragunt curſum, orbes ſuos ſtatis vicibus percurrentia, pignus quoddam habere certitudinis & veritatis divinorum promiſſorum. Vid. LAMPE *de fœd. grat. Tom. II. pag.* 828. *Ed. Germ.* id quod ſuo quidem relinquimus loco; hoc certum eſt, eo ſcopo hic eas memorari leges & ſtatuta, ſicuti mox videbimus; poſtquam tribus verbis diximus de phraſi רגע הים ויהמו גליו quæ & occurrunt *Es. LI.* 15. (Græci habent *καὶ κραυγὴν* (ſcilicet *δὺς*) *ἐν θαλάσσῃ, καὶ ἐβόμβησε τὰ κύματα αὐτῆς*, forſan mala lectione ſui codicis decepti).

Verba illa multi reſpicere putarunt miraculoſum Iſraëlitarum tranſitum per Rubrum mare, ſed non putaverim, ſpecialem aliquem caſum intendi, cum in antecedentibus ut & conſequentibus ſermo fiat de Legibus Naturalibus in genere. Sed quid eſt רגע הים? Radix illa eſt e vexatisſimis. Nonnulli *qui ſedat mare*, in qui-

quibus Doct. LOWTH *de Poësi Hebr. Tom. I. pag.* 157. alii *qui findit mare*, uti CLERICUS de transitu per mare rubrum cogitans, alii denique *qui vibrat mare, illudque de imis sedibus movet* sic SCHULTENS *in Origg. Hebr. Lib. I. cap.* 2. aliam ingreditur viam Cel. MICHAELIS tum *in Nott. ad Lowth libr. cit.* tum in *Beoordeeling der Middel. om de Hebr. spraak te verstaan*, §. 36. *pag.* 196. qui ex Arabismo notionem *redeundi, revertendi* huic radici vindicat. Quidquid sit, satis tuto concludas, usum specialiorem habere hoc verbum in fluxu & refluxu maris, qui Deo moderanti & dirigenti tribuitur tum hic loci tum *Es. LI.* 15. *Job XXVI.* 12. quod constare potest ex vocibus sequentibus: רגע *stagnum* quasi *fluxus aquæ repulsus*; רגיע *consistens & restagnans aquæ fluxus.* ita Doct. HUNT. Jam unicuique qui maris fluxum & refluxum unquam oculis usurpavit notum satis est, quantopere in fluxu isto & refluxu fremant maris undæ fluctusque, hinc additur ויהמו גליו. Verbum enim המה de strepitu maris ejusque fluctuum sæpissime adhibetur. Hic autem maris motus non minus certis fixisque legibus, duraturis quamdiu hæc rerum stabit compages, est adstrictus, ac Solis, Lunæ stellarumque motus. Atque hic subsistendum arbitror, absque ut opus habeamus *maris motum* hic memoratum mystice exponere de *populorum* gentiumque motibus Deo ejusque providentiæ subjectis, quorsum inclinat Cel. VENEMA.

Hæc autem descriptio summi Numinis eo fine hic adducitur, ut tanquam fundamentum substernatur sequenti promissioni, gentem Israeliticam duraturam in ter-

terra & superfuturam, utque omnis dubitandi ansa vel pertinacissimo incredulo præcidatur: Idem scilicet potentissimus rerum Arbiter, qui omnia in regno Naturæ moderatur, etiam gentem Judaicam æque certo sartam tectam præstaret.

Hæc denique descriptio summae potestatis Divinæ ad scopum adplicatur vs. 36. adseverante Deo, sicut nunquam remittent hæ Leges Naturales, sic nunquam cessaturam gentem Judaicam: אם-ימשו החקים האלה מלפני נאם-יהוה גם זרע ישראל ישבתו מהיות גוי לפני כל-הימים. *Si hæc statuta recedant a facie mea, inspiratum* JEHOVA, *etiam semen Israëlis cessabunt, ut non sint gens coram facie mea, omnibus illis diebus*, Supponitur aliquid impossibile, *Leges nempe Naturales aliquando remissuras*, ubi notandum primo loco est verbum מוש, cujus potestatem primariam in *tergendo* posuit ὁ Πάνυ ad *Proverb. XVII.* 13. pag. 179. unde nata significatio *abscedendi*, *deficiendi*. Deinde cum sub conditione dicatur *si abscedant &c.* τὸ ἀδύνατον rei indicatur, *ne tantillum quidem remittent*: cujus rei veritatem per tot jam sæcula expertus fuit orbis, & nos adhuc hodie experimur. Optime itaque, huic comparatur & hinc confirmatur conservatio populi Judaici tanquam gentis separatæ sub Dei cura ac tutela, *non cessabit semen Israëlis*, id vero est quod notum, posteri Jacobi, ex ejus semine orti, phrasi in sacris V. Testamenti tabulis admodum familiari; *ut non sint gens coram facie mea*; ἔθνος transtulit Græcus Interpres: Differentiam statuunt eruditi inter גוי & עם, uti supra jam indicare cœpimus, hoc significat *populum* liberum, sui ju-

tis, & in ſocietatem bene ordinatam coadunatum, floſentem denique & felicem, illud vero ſive גוי *gentem* diverſam quidem religione & inſtitutis a reliquis gentibus, ſed *vagam*, & *diſperſam*, imo *erroneam*, *adflictam* & *perditam conſiliis*. Licet autem inficias ire nolim, aliquando, discrimine hoc neglecto, גוי etiam pro populo libero ſumi, hic tamen non ſine ratione vocabulo hoc uſus Jeremias mihi videtur, cum non obſcure illud opponat עם לִי ab ipſo uſurpato comm. 33. quemadmodum vidimus, neque negari queat, ſic ſæpiſſime apud Prophetas diſtingui: quæ etiam cauſſa, cur hujus vocis forma plurali גוים *pagani* inſigniri ſoleant, oppoſite ad Judæorum populum עם dictum. Lege cel. VENEMA ad VITRINGA *in Cant. Moſ. pag.* 173. Servator noſter pro eo forſan adhibuit γενεᾶς vocabulum *Matth. XXIV.* 34. *Marc. XIII.* 30. *Luc. XXI* 32. ubi idem innuere videtur quod hic apud Jeremiam ſignificatur, nempe populum Judaicum, utut diſpergendum per totum terrarum orbem tamen manſurum gentem diverſam & ab aliis omnibus discretam; donec omnia hæc quæ de eo prædicta ſunt impleantur. Ex hac obſervatione ergo concidit παρερμηνεία CLERICI ad h. l. ſcribentis *formam aliquam regni aut reipublicæ* ἀνυπεύθυνον *ſervare; quod a temporibus Hadriani Imperatoris nusquam impetrare potuerunt, quia eorum* διασπορὰ *fuit, ſine auctoritate, qualis fuerat ſtante Jeroſolyma:* ſed de hiſce plura in ſequentibus.

Aliud eſt, quod hic obſervandum, ſcilicet voces illas מלפני & mox לפני non ex ſuperabundanti eſſe poſitas, nec tantum omniſcientiam denotare Divinam,

ve-

verum quam maxime involvere specialem curam, directionem & regimen Divinum, cui omnia hæc subsunt, qui moderatur leges naturæ, qui etiam populi Judaici curam gerit; sub cujus oculis hic populus vivit ubicunque demum versetur in mundo, conferendæ sunt dictiones *ambulare coram facie Dei*, *vivere coram facie Dei* & similes; & notandum locutionem esse desumtam a regibus Orientis. Conf. PAULSEN *Regeering der Oosterl. Part. II. pag.* 542 sqq.

Denique addendum, non absque ratione adjungi, hanc gentem superstitem fore *omnibus illis diebus* כל־הימים ubi non negligendum ה istud vocabulo ימים præfixum, quod Lectorem remittit ad dies vel tempus ante memoratum; & quodnam illud, quæso, aliud est tempus? qui alii dies? nisi de quibus dicitur vs. 33. *Post illos dies pangam fœdus meum cum domo Israëlis*, quos ibi sumendos & intelligendos diximus, de tempore, quo fœdus a populo ruptum, & illi ideo a Deo repudiati fuerant vs. 32. per totum itaque illud tempus servaretur tamen & superstes maneret populus & gens Israëlitarum; donec in fœdus Dei readsumantur & tanquam populus Dei (עם) rursus agnoscantur, vs. 33. qui verus verborum sensus et συνάφεια, nimis levi brachio ab interpretibus tractatus.

Atque ita plenissime prima difficultas quæ ab incredulis movebatur contra Divinam promissionem, e medio sublata est; alia erat difficultas sita in magnitudine et atrocitate peccatorum ab Israëlitis patratorum, quibus fœdus prius ruperant vs. 32. severissime a Deo justo Judice puniendorum. Videmus ex Cap. XXXIII.

vs. 24. quomodo revera hæc difficultas ab incredulis mota ſit, dicendo: *duas familias* (h. e. utramque domum Judæ et Iſraëlis) *quas elegerat* JEHOVA, *nunc cum faſtidio & ira rejecit & ſprevit*: reſpondetur ad hanc motam difficultatem vs. 37. ex imperſcrutabilitate operum Divinorum tum in regno naturæ nec minus in regno gratiæ, in utroque inveniri βάθη, nec tamen dubitandi de veritate & miſericordia Divina locum ſupereſſe. Sic ſe habent verba כה אמר יהוה אם-ימדו שמים מלמעלה ויחקרו מוסדי-ארץ למטה נם אני אמאס בכל-זרע ישראל על-כל-אשר עשו נאם-יהוה. Præmittitur confirmatio et auctoritas vaticinii *ſic dicit* JEHOVA non ut novæ ab antecedentibus ſeparatæ indicium ſit pericopæ, uti ad verſum 35. jam monuimus; ſed quia novum dubium contra veritatem Oraculi motum tollendum et removendum hoc commate venit. Quæ ſatis clara ſunt, et vix interpretis laborem requirunt. Ponitur imperſcrutabilitas operum Dei in regno naturæ, quæ opera imperveſtigabilia homini, quidquid ſemet efferat, ſunt et manent, et hinc confirmatur, Dei erga Iſraëlitas miſericordiam et gratiam, qua eos non puniturus ſit ſecundum merita nec plenarie rejecturus, licet æque minus perveſtigari ac comprehendi queat ab humano ingenio, tamen certo certius populo iſti fore donandam. Uno tamen alteroque fungar obſervato: *Si menſurabuntur cœli ſuperne*, recte Vulg. *Si menſurari potuerint*, (Græcus nimis longe recedit, nec locum intellexit Ἐὰν ὑψωθῇ ὁ οὐρανὸς εἰς τὸ μετέωρον κ. τ. λ.) ſenſus eſt: neutiquam menſurari poterunt cœli ſuperne aut terræ fundamenta inferne

ſerne perſcrutari: Ut hæc rite intelligantur ſciendum eſt, ſolere ſacros Scriptores totum hoc univerſum tanquam ingens aliquod conſiderare ædificium, cujus partes ſuperiores Cœlum et inferiores terra contineat, ſuis fundamentis immobilibus impoſitum, qua de re dixi plura *ad Cant. Hannæ*, pag. 221, 222. quæ etiam ratio cur hic *fundamenta terræ* memorantur. Res autem ipſa in propatulo eſt, multa ſunt in rerum natura myſteria, quæ etiam ſubtiliſſimum hominum maximorum ingenium effugiunt effugientque ſemper: ita ut nemo potis ſit *ea ſcrutari*, *inveſtigare ſubtilius et limatius*, quæ vis radicis חקר recte obſervante cel. VENEMA. Digna eſt quæ legatur *Diſſ. Philoſ. Theol.* quam hic loci anno 1762. ſcripſit plurimum Rev. GER. JO. NAHUYS, qua *Myſteriorum Religionis ἀξιοπιστία ex naturæ Myſteriis adſtruitur.*

Huic autem imperſcrutabilitati abditorum Naturæ et reconditorum myſteriorum rectiſſime comparatur illa miſericordia quam exerceret Deus O. M. circa gentem Judaicam: *etiam ego rejiciam* (proprie *exulcerato animo repudiabo*, quæ vis et efficacia eſt verbi מאס, quam hic plenam exſerit, quod jam monuere Interpretes;) totum ſemen Iſraëlis, ut nulla ſpes ſuperſit reconciliationis, *propter omnia*, *quæ deliquerunt*, in ſequiorem enim partem de malefactis interpretandum hic eſſe verbum עשה unusquisque, me vel non monente, facillime perſpicit. Intelliguntur enormia et multiplicia populi hujus crimina, quibus digni forent, qui omnino et in æternum rejiciantur a Numine juſto rerum judice. Indicatur hiſce itaque 1. revera qui-

dem indignationem et iram suam manifestaturum summum Numen ob atrocia Israëlitarum peccata. 2.) Ita quidem ut multi pœnis justissimis pereant, non tamen 3.) totam gentem exstirpatum iri, sed 4.) remanere spem reconciliationis 5.) esse in his quidem impervestigabilem Dei longanimitatem & gratiam, non tamen incredibilem; quia sicut altitudo cœlorum supra terram, sic benignitas Dei super omnes qui ipsum timent, magna est, canente Psalmista *Ps. CIII.* 11, 12. Nimirum remittentur populo semet convertenti, quæ populi conversio ex rei natura subaudienda est, quamvis reticeatur, omnia peccata, sicut supra vs. 34. promissum fuerat, & dona Dei gratiosa nunquam sunt pœnitentiæ obnoxia. Vide ratiocinium Pauli eodem modo institutum *Rom. XI.* 25. sqq. qui & hic abyssum imperscrutabilem divitiarum intellectus & sapientiæ Dei agnoscit, vs. 33. sed hæc nunc missa facio.

Restat tertia & ultima difficultas, quæ non tantum incredulos movere, sed & piorum animos anxios tenere apta nata erat; diruta jacebat urbs olim sancta, cujus vix rudera supererant, desolata & inhabitata, ab impuris hostibus conculcata: revera hoc tanquam indicium iræ Divinæ consideratum fuisse, & mentem Judæorum reddidisse inquietam, nobis inter alia constat ex *Es. LXIV.* 10 - 12. hic vero illud dubium tollitur promissione de reædificanda & amplificanda Hierosolymitana urbe, terræ & Reipublicæ Metropoli vs. 38 - 40. paucis quibusdam observationibus illustranda. Promittitur itaque instauratio Hierosolymorum futuro tempore certo certius exspectanda; certitudo rei indicatur per il-lud

lud *inspiratum* Jehovæ, quod jam sæpius habuimus, tempus vero iisdem, quæ supra vs. 31. obviam erant verbis הנה ימים באים, *Ecce dies veniunt*, in quibus illud באים quamquam in textu non scriptum, tamen recte a Masora additum adeoque legendum est, indicibus punctis vocalibus, quæ in textu remansere; id quod versiones vetustæ confirmant: sequitur generalis prædictio de instaurandis Hierosolymis vers. 38. הנה ימים באים ונבנתה העיר ליהוה, *Ecce veniunt dies*, *inspiratum* Jehovæ, *quibus instaurabitur*, (sic sæpe בנה sumitur, quod vel ex Lexicis notum) *urbs hæc*; העיר, κατ' ἐξοχὴν, id est, Hierosolyma, quemadmodum apud profanos *Urbs* pro Roma, πόλις pro Alexandria, ἄστυ pro Athenis, & aliis insignioribus urbibus; uti *Stephanus Byzantin.* observavit *de urb. & populis* in v. *Alexandria*. Quod additur ליהוה Jehovæ, id vero indicat, Jehovæ sacram fore novam hanc urbem, ipsi & veræ Relligioni dicatam, Metropolim totius Reipublicæ Israëlitarum, tanquam populi Dei.

Deducitur hæc promissio per partes, ubi describitur ambitus urbis instaurandæ, amplioribus pomoeriis latius se extensuræ quam olim, Jehovæ sacratæ, & nunquam postea vastandæ.

Describitur primo totus ambitus novæ hujus urbis secundum quatuor ejus latera, incipiendo a latere septentrionali, quod latus describitur initio facto ab Oriente versus Occidentem: מִמִּגְדַּל חֲנַנְאֵל עַד־שַׁעַר הַפִּנָּה, *A turre Hananeëlis usque ad portam anguli*: Turris *Hananeëlis* hic tantum & *Zach. XIV.* 10. in si-

ſimili vaticinio de inſtauratione Hieroſolymorum, nec non *Nehemiæ III.* 1. & *XII.* 39. memoratur; non conveniunt docti in ſitu hujus turris. LIGTFOOT *Cent. Geogr. Matthæo præmiſſa, cap. XXVI. pag.* 190. eam collocat a parte Urbis Auſtrali, contra vero doct. BACHIENE, *Tom. II. Canaänis, part. I. pag.* 157. ad ortum ſeptemtrionem verſus, licet nullam pro hoc ſitu niſi ex conjectura tantum habeat auctoritatem; LIGTFOOT autem argumentum capit ex mentione *Vallis cadaverum*, procul dubio ad Auſtrum Urbis quærendæ, verum ſi quid video, ficulneum prorſus hoc eſt, ex eo enim longe aliud concluderes, nimirum *Turrem Hananeëlis* ad ſeptemtrionale Urbis latus eſſe ponendam, a ſeptemtrione enim incipit novæ Urbis deſcriptio tum hic tum apud Zachariam l. c., quod vel ex mentione *Portæ Benjaminis* apud illum conſtat; ſi vero LIGTFOOTI procederet ratiocinium, latus ſeptemtrionale prorſus fuiſſet apud noſtrum omiſſum, quod non exiſtimandum; ſed ſi colloces hanc turrim ad orientem verſus ſeptemtrionem pergit inde deſcriptio lateris aquilonaris ad angulum occiduum, & deſcendit per latus Urbis occidentale, ubi collis *Gareb* & *Goatha*, ad meridiem & ſe vertit ad orientem, atque adeo totam ambit Urbem, uti mox videbimus. Quin nonnihil inclinarem, ut credam hanc turrim fuiſſe in angulo Euroaquilonari, ubi JOSEPHUS *de Bello, Lib. V. c. IV.* §. 2. *pag.* 328. *turris* cujusdam *angularis* meminit, quam cum noſtra hac *Hananeëlis* conferrem; ubi BACHIENE in delineatione Urbis Hieroſolymitanæ ponit *turrim angularem*, LIGTFOOT vero *turrim ex-*

*teriorem*; opportune itaque monet *Drusius*, *Theodoretum adnotare, quod Syrus dixerit* ἀπ᾽ πύργυ τῆς γωνίας Ἀνανιὴλ, *a turre anguli Hananeël*; loca autem ex Nehemia, ex quibus conjecturam firmare conantur viri eruditi paulo sunt obscuriora, quam ut hic omnia decidere possint; sed in hæc atque talia plura immittere me non possum.

*Porta anguli* etiam vario situ collocatur a doctis, LIGTFOOTUS l. c. *pag.* 191. etiam hanc ad meridionalem Urbis partem ponit, invita Minerva, rectius mea quidem sententia ob dictas rationes BACHIENE, *pag.* 173. eam ad septemtrionalem Urbis Angulum versus occidentem collocavit.

Absoluta descriptione lateris septemtrionalis, memoratur porro occidentale versu 39. ויצא עוד קוה המדה נגדו על גבעת גרב ונסב געתה, in quibus verbis nonnulla sunt, de quibus differendum adcuratius: Vulgatus: *Et exibit ultra norma mensuræ in conspectu ejus super collem Gareb & circuibit Goätha.* Græcus καὶ ἐξελεύσεται ἡ διαμέτρησις αὐτῆς ἀπέναντι αὐτῶν ἕως βουνῶν Γαρὴβ καὶ περικυκλωθήσεται κύκλῳ ἐξ ἐκλεκτῶν λίθων. Videamus de singulis: קוה, quemadmodum hic legitur, ita & in aliis locis occurrit 1. *Reg. VII.* 23. *Zach. I.* 16. ut non opus sit emendatione Masoretharum, קו legi jubentium, est autem קוה vel ut communiter alias קו *linea*, *canon*, *norma*, cujus usus est in dimensione sive ædium sive agrorum & urbium ædificandarum, quum pomœria recte & ex symmetria mensurantur, & omnia apte disponuntur, idcirco hic קוה המדה, *linea mensuræ.* Ezechieli vati formam Templi, Civita-



tis,

tis, & distributiones terræ Cananææ a Divino mensore recepturo, exhibetur Angelus mensor *Ezech. XL.* 3. in cujus manu erat *funiculus lineus & calamus mensuræ.* Utrumque dicitur קו vel קוה a *contorquendo, complicando*, secundum SCHULTENS. ad *Haririum*, *pag.* 136, 137. Consule VITRING. *Comment. ad Zach. I.* 16. *pag.* 166.

Dicitur autem ejusmodi linea *exire*, ulterius excurrere, ut indicetur, novæ hujus Hierosolymæ ambitum fore majorem, extensurum se ultra veterem illum, qui a parte Boreali continebatur turri Hananeëlis & porta anguli, nunc *e regione hujus ultimæ* excurreret versus occidentem ambitus, qui sensus esse videtur τῶ נגדו, nisi simpliciter נגדו sit *coram se* hoc est *ultra*, *porro*, quod ferri posset. Extenderet autem se ambitus urbis usque *ad collem Gareb & circumdaret Goätha.* De *colle Gareb* certi nihil constat, an ab Heroe Davidis, 2. *Sam. XXIII.* 38. memorato nomen habeat, an a *lepra*, quod leprosi forsitan ex urbe relegati ibi habitarint, uti SIMONIS *in Onom. V. T. pag.* 31. conjecit, vel quod fuerit *horridus* & *præruptus*, quod suspicatur cl. VENEMA, vix definiri potest. Si mediam, quæ *Simonis* est, opinionem amplectamur, aliquid emphaticum hisce inerit; Collis antea a leprosis inhabitatus adeoque impurus nunc, pomoeriis urbis latius productis, intra muros includendus et simul proinde JEHOVÆ sacratus erit. Conf. vs. 40. Ex iis quæ ante diximus et ex συναφειᾳ ac cohærentia textus satis bene Collis hujus situm definivisse videtur doct. BACHIENE, *Tom. II. pag.* 233. ad latus scilicet occidentale versus se-

ſeptemtrionem. Ligtfoot in *Cent. Geogr. Matthæo præmiſſ. pag.* 190. *Gareb* & *Goäth* pro uno eodemque ſumſiſſe videtur, & cum *Lyrano* de monte *Calvariæ* ſive *Golgotha* interpretatur, minus concinne, uti ex textu adparet, in qua diſtincta mentio collis *Gareb* & *Goäth*.

Sic enim pergit textus: ונסב געתה, *Et Goatha circumibit* a סבב: ſignificatur itaque, *Goatha* incluſum iri urbis mœnibus, ſed quis qualisve locus eſt *Goatha?* Magnus *Eſaiæ* Interpres cel. Vitringa ad *E.* XXX. 33. putat eſſe collem, qui imminet valli Siloæ apud Joseph. *Lib. VI. de Bello*, *Cap.* 13. mox tamen addit: niſi forte collis *Goa* idem ſit, qui *Golgotha*, locus crucifixi Chriſti Domini, ut *Golgotha* ſit גל גועתא, *Tumulus Goa*, quæ denominatio probari poſſet, niſi obſtaret Euangeliſtarum auctoritas, qui Κρανίου τόπον tranſtulere: ſed quidquid ſit de nomine, res ipſa ſatis ſe æquo rerum æſtumatori commendat. Ligtfoot, ut vidimus, jam poſt *Lyranum Goatham Golgotham* eſſe exiſtimavit, convenit ſitus ad occidentem urbis; Interim mirum eſt, quod Viri docti tam univerſaliter loquantur de colle *Goathæ*, ſimpliciter enim textus habet *Goatha:* idem profecto error, qui ex κρανίου τόπῳ ex loco quodam *Golgotha* dicto, non alio enim modo Euangeliſtæ loquuntur, montem vel collem *Calvariæ* elevare ſcivit. Recte obſervante Jac. Cremero in *Biblioth. Hag. Claſſ. II. faſc.* 2. *pag.* 245. Hic locus, extra urbem quondam & ſupplicio Σωτῆρος noſtri infamis, nunc etiam intra urbis muros includeretur: Referunt quidem, hoc jam locum habere in Hieroſolyma noſtri temporis, mons etenim Calvariæ & ſe-

pul-

pulchrum Jesu Christi in Urbe ipſa relligioſis rerum & locorum ſpectatoribus oſtenditur, dubium tamen vulgari huic traditioni movit *Jonas Korte* in Itinerario ſuo, vid. Bachiene, *Tom. III. pag.* 229. cui vero pollicem non premit Jona Willem te Water in *Hiſt. ſepulch. & ſepult. J. C. pag.* VIII *Prolegom.* quid autem Græcus Interpres velit cum ſuo ἐξ ἐκλεκτῶν λίθων expiſcari nequeo,

Abſoluto latere occidentali memorat deſcriptio novæ Urbis partem meridionalem vs. 40. וכל־העמק הפגרים והדשן, *Et omnem vallem cadaverum & cineris.* Hic omnia confudit Græcus, nec opus erit illius deliriis inhærere. *Vallis cadaverum*, ſecundum *Jonathanem* eſt *vallis, ubi ceciderunt cadavera Aſſyriorum* tempore Hiskiæ regis. Confirmatur hoc verbis Hiſtorici 2. *Reg. XIX.* 35. *Et ſurrexerunt mane, & ecce* כלם פגרים מתים *omnes illi cadavera vita caſſa*, ubi idem nomen פגרים occurrit, ſic Vitringa ad *Eſ.* loc. cit. quod longe melius quam cum doct. Bachiene, *pag.* 250. hanc vallem interpretari *vallem ſepulturæ*, quam eandem eſſe putat ac in qua hodienum publicum Judæorum Hieroſolymitanorum eſt cœmeterium ad vallem *Kedron.* Verum obſervo ex textus noſtri tenore hoc non poſſe adſumi, quærenda enim hæc *vallis cadaverum* (non *ſepulturæ*) ad latus meridionale Urbis verſus occidentem non orientem, ut ordine linea procedat: collat. 2. *Reg. XVIII.* 17. ubi duces Aſſyrii caſtra metati dicuntur ad æquæductum fontis ſuperioris, qui eſt ad viam altam agri fullonis, quæ loca ſunt ex ipſius Bachienii mente in latere meridionali verſus occidentem

tem Urbis. Quæ porro memoratur ad meridiem orientem versus *vallis cinerum* non ita male comparari poterit cum valle filiorum *Hinnom*, five *Tophet*, *cinerum* dictam, quod facrificia Idololatrica olim ibi fuerint facta & in cinerem redacta. דשן enim fpeciatim *cinerem victimæ* in altari crematæ denotat a *pinguedine*. Conf. VENEMA ad h. l.

Denique quartum latus five orientale defcribitur: וכל השרמות עד-נחל קדרון עד פנת שער הסוסים מזרחה קדש ליהוה, *Et omnes campos ad torrentem Kedron usque ad angulum portæ equorum orientem versus, fanctitas* JEHOVÆ ! turbat in hifce nonnihil iftud השרמות quod in textu obvium eft. Eft enim hæc vox multum intricatior, interpretantur *Vallem aduftionis* quafi שרם & שרף radices confunderentur, & adplicant *ad vallem filiorum Hinnom*, vel conferunt radicem Arabicam سرم alias شرم *fecuit*, *concidit*, *fidit* : conf. VENEMA. Lectionem השרמות habuerunt etiam Græci, confervarunt enim ipfam vocem, fed his literis expreffam ἀσαρημώθ, Interim vix mihi dubium eft, quin legendum in textu cum ר, השדמות uti Maforethæ ipfi recte jubent, habet ita & Codex Reg. 29. apud HUBIGANTIUM: *Vulgatus* item legit השדמות, fed aliter punctavit, ac nos folemus, vocemque in binas feparavit, vertit enim *regionem mortis*, quafi legiffet השדה מות *agrum mortis*, verba HIERONYMI hæc funt: *Et univerfum Sademoth, quod nos vertimus in* regionem mortis, *unum nomen in duo verba dividentes*, SADE, *quod dicitur* regio, *&* MOTH, *quod in-*

*interpretatur* mors, *pro quo Aquila vertit* ſuburbana, *ſive* arva & rura. *Chaldæus* vertit *aquæductus*, quos unde habeat neſcio, videtur intelligere aquæductus ab Hiskia factos, ſed qui ad occidentem urbis ponuntur ab Eruditis. Legamus השרמות uno verbo, & intelligamus totum πεδίον ſive campum, planitiem ad torrentem Kedron ab orientali urbis parte, quæ planities hoc etiam nomine occurrit 2. *Reg. XXIII.* 4. ſic ſenſus erit planus ac facilis & omnia prono fluent alveo, absque ut aliquid difficultatis remaneat.

Non itaque vallem *filiorum* Hinnom intelligerem, illam enim complectitur nomen *vallis cinerum*, uti vidimus, verum planitiem illam ad orientem urbis, quæ ſe extendit usque ad נחל torrentem Kedron, ſatis notum, quare verbum non amplius addemus; legi alias poteſt Bachiene *Tom. II. part. I. pag.* 114. Et ſic nihil offendet vocula כל *omnis*, ac ſatis liquet, quid ſibi ea vox hic loci addita velit, innuit enim tanto majorem Hieroſolymæ hujus novæ fore ambitum quam unquam antea, ut, ſicut ab occidente collem Gareb & Goath locum, ſic ab oriente totam planitiem ad torrentem Kedron usque intra mœnia ſua contineret; atque adeo opus non erit, ut כל pro verbo habeamus & reddamus *menſurabit* cum cel. Venema.

Finitur denique urbis inſtaurandæ delineatio, cum dicitur *usque ad angulum portæ equorum ab oriente: Sanctitas* Jehovæ! De *porta equorum* abſolvit Bachiene *Tom. II. pag.* 178. qui, uti vulgo, nomen ei adhæſiſſe, conjicit, quod equi regii per eam ſoliti ſint aquatum deduci ad torrentem Kedron, quæ an pro-

probabilis sit conjectura, videant Lectores! Interim hanc portam nimis remote ad austrum collocare videtur; siquid conjicere liceat, collocarem multo magis septemtrionem versus, ubi V. C. *piscium porta* ponitur a BACHIENIO, quia eo me ducere nexus videtur, dicitur enim *omnes campos ad torrentem Kedron usque ad angulum* &c. quid autem hic rei sit *angulus portæ equorum*, me nescire profiteor.

Cæterum dubium nonnihil fecit cel. VENEMA, num voces מזרחה קדש ליהוה secum sint construendæ hoc sensu *ad ortum Sanctuarii* JEHOVÆ, an vero seorsim sint sumendæ: & tunc illæ קדש ליהוה sint referendæ ad totam urbem reædificandam vs. 38. ita ut urbs hæc nova futura sit *sancta*, Deo sacra & *inviolata*. Utrumque locum habere posse, præfracte negare nollem, licet in ultimam hanc constructionem inclinet magis animus, qua *Sanctitas* JEHOVÆ referatur ad totam urbem, cujus jam ambitus descriptus est. Sic linea mensoria totum circuitum absolvit incipiendo a parte Euroaquilonari per latus septemtrionale, deflectendo per partem occidentalem versus austrum, & tandem per tractum meridionalem & orientalem revertendo ad septentrionem, unde initium ductum erat. Meretur conferri locus *Zach. XIV.* 10. licet paulo aliter ibi instituatur.

Desinit tandem pericopa, quam exponimus, in promissionem securitatis & durationis hujus novæ urbis vs. 40. לא-ינתש ולא-יהרס עוד לעולם, *Non evelletur nec disjicietur amplius in æternum.* Græcus legisse videtur עד-עולם, vertit enim ἕως τοῦ αἰῶνος, sed in

ANACRISIS.

Evicimus hucusque, Vaticinio nostro suum constare sensum certum & determinatum, de quo nemo ambigere aut dubitare potest, atque adeo in eo satis conveniunt Interpretes, licet in adplicatione Pericopæ ad tempus, quod significetur, & implemento ejus indicando vehementer dissentiant, qui tamen dissensus dignitati & auctoritati Oraculi Divinæ nihil omnino derogare censendus est, si vel maxime componi aut dijudicari non posset: ratio enim dissensus facile suppeditari potest, non in ambiguitate aut difficultate Pericopæ sita, sed in interpretibus, atque eorum precariis sæpe hypothesibus. Promissio continet certissime (1.) novum fœdus erigendum cum populo Israëlitico; (2.) varia & insigniora bona in illum conferenda; (3.) favorem Divinum sese denuo manifestaturum & populum illum amplecturum (4.) populum hunc conservandum seorsim & separatim ab aliis gentibus, nec finaliter rejiciendum; denique (5.) illius Metropolim reædificandam ac in tuto collocandam in æternum: Hæc certa quidem sunt. Verum plures eventus rerum, plures casus occurrunt, post editum vaticinium, quibus impletum illud esse videri potuit: V. C. post editum vaticinium Judaicus populus e captivitate Babylonica liberatus reversus fuit in terram suam novis Divinæ benignitatis indiciis mactatus, quin urbem Hierosolymorum a Chaldæis destructam, rursus ædificavit & ornavit; præterea in plenitudine temporis nova rerum facies illuxit, nova œconomia Divina cum Ecclesia sua initium cepit, magnus ab integro sæclorum nascitur

E or-

ordo, de quo titulus N. Fœderis vulgato in uſu eſt, de quo etiam Vaticinia plurima vetuſtiora ſunt explicanda. Denique populus & gens Iſraëlitarum ad noſtra usque tempora diſperſus per totum orbem, extra patriam dilectamque terram ſuam extorris vagatur, iræ Divinæ ſubjectus, ſeparatus a reliquis omnibus nationibus, exſpectans tamen tandem aliquando lætam rerum ſuarum καταστροφὴν, & ſeſe ad fines et arva patria reverſurum ſperans.

Quid, quæſo, mirum hic accidit, ſi in partes abeant interpretes et ſinguli ſingulos hos caſus eligant pro vario ſuo aut ingenio aut hypotheſi, quibus hoc vaticinium adplicant et impletum eſſe ſtatuant? Nec tamen ſubſidiis deſtituti ſumus, quo minus et hic pedem figere poſſimus et certi aliquid eligere: adſunt charactęres, qui nos manu quaſi ducunt ad implementum hujus pericopæ recte quærendum et demonſtrandum. Id vero eſt quod hac parte efficere animo noſtro propoſuimus; et hoc quidem ordine, ut primo loco aliorum, quæ minus placent nec locum ſuum tueri poſſunt, expoſitiones, dijudicemus, tum denique noſtram, quam unice veram habemus, Lectori proponamus atque adſtruamus.

Atque hic Judæorum παρερμηνείαις aut deliriis non immorabimur; quorum antiquiores, THEOPHYLACTO teſte ad *Hebr. VIII.* 8. impletum vaticinium in eo ſtatuerunt ὅτι ὁ Ἔσδρας ἀνεκαίνισε τὴν γραφὴν. Eſſe enim *novum* fœdus fœdus *renovatum*. Recentiores vero ut plurimum, per renovationem fœderis קיימת Confirmationem ejusdem intelligendam dixerunt, quam futu-

ro

ro tempore ſub *Meſſia* locum habituram ſibi perſuadent. Nec mirum, illos ſic ratiocinia ducere quum legem & œconomiam Moſaicam æternam & inviolabilem nec unquam mutandam credant. Satisfecerunt illis abunde Chriſtianorum Doctores, & otium nobis fecerunt huc plura congerendi, & nonnulla modo recurrent, elucidanda & memoranda. Interim cui volupe eſt, Judæorum ipſiſſima legere verba, eorum loca producta inveniet a S. MUNSTERO, SCHOETGENIO in Hor. *Hebr.* FRISCHMUTHO in ſæpius memorata Diſſ. GUSSET. in *Confut. libri Chizzouk Emounah. pag.* 212. locus R. *Iſaaci* ejus libri auctoris legi poteſt in WAGENSEILII *telis Igneis Satanæ*, *pag.* 263. & locus ex *Nizzachon* vetere ibidem *pag.* 70.

Verum Chriſtianorum expoſitiones interpretum hic adducere & examinare magis e re noſtra erit: Inter quos H. GROTIUS vir doctiſſimus a Judæis vetuſtioribus non ita multum abludit, qui fœdus novum hiſce verſibus promisſum de renovatione ejus per Prophetas expoſuit *Nehem. IX.* 38. & *X.* refutavit eum ABR. CALOVIUS ſuo more, ſed poſtea alii inter præſtantiſſimos eruditorum, ſuaque laude minime fraudandos GROTII veſtigia preſſerunt, CLERICUS verbi gratia & nuperrime Cl. MICHAELIS in *Notis ad Epiſt. ad Hebr.* (not. 173. 177.) qui verba hæc impleta Esdræ tempore autumat, et *novum* fœdus hic promiſſum, *renovatum* explicat, exponitque de œconomia Divina cum populo Iſraëlitico poſt reditum ex captivitate Babylonica, quæ jam incipiebat alius naturæ eſſe, ac antea locum habuerat. Operæ pretium erit rationes, quæ eum moverunt GRO-

TII vestigiis inhærere, hic paucis trutinare sed æquo animo & præjudiciis vacuo. Sunt autem ferme sequentia.

1.) Nexus hujus Pericopæ: Posita est, inquit, Pericopa *Jer. XXXI.* 31-34. media inter vaticinium de Judæorum ex captivitate Babylonica reditu, qui sub Cyro illis concessus est. Verum sumit hic sibi Vir doct. quod omnes non æque facile ipsi sunt largituri, cum respectu ad ea quæ antecedunt, æque ac quæ sequuntur. Plurimi enim totum hoc *Jeremiæ Cap. XXXI.* de temporibus sub Novo Fœdere imo de hujus œconomiæ ultimis temporibus illud agere animo sibi persuasum habent. Litem hanc nos Viro doct. nunc non movebimus, illud observasse contenti, dubiam nimis esse hanc rem, quam ut exinde aut pro hac aut pro illa sententia pronuntiari queat. Ut hic certi simus, interni aliqui characteres sunt producendi, quibus nobis constet, cui tempori adliganda sit Prophetia. De versib. 38-40. nos liberales erimus & Viro doctissimo concedemus, agere illos de Hierosolyma literali & non spirituali; verum qua ratione illos capiamus, in sequentibus dicemus. Sed bene se habet, quod ipse vir judiciosissimus agnoscat hoc argumentum ex serie orationis ductum non esse omni exceptione majus, quare internos aliquos characteres temporis producere satagit ad suam confirmandam opinionem.

2.) Itaque observat; de Novo fœdere sub Mediatore Christo non agi, quia illud cum gentibus æque ac Israëlitis pactum sit, hic autem solos memorari Israëlitas; indignaturque, quando *Israël* & *Jüda* spiritualiter ex-

explicentur, atque Etymologia horum nominum in auxilium vocetur, indigitans procul dubio CARPZOV. *ad Hebr. pag.* 371. repetit & confirmat hanc observationem Not. 174. magnum scilicet sibi præsidium in ea collocans.

Equidem *rectissime* Virum cel. hanc observationem de literali Israëlitico populo intelligendo instituere, ultro concedo, nec video, qua ratione hic de spirituali Israële aut Juda cogitari queat. Interim tamen sequelam Viri cel. qua ideo vaticinium ad reditum populi ex Babele adplicat, non procedere disputo, quia alia & meliore ni fallar ratione, locus expediri poterit, uti videbimus. Neque tamen ex iis ego sum, qui negare sustinent, X tribus reversas ex Babele æque ac Judæ ac Benjaminis tribum sub Cyro fuisse: sed de eo reditu hic verba fieri non putem ob rationes in sequentibus proferendas.

3.) (Not. 178.) Aliud adhuc profert argumentum, hanc pericopam non posse ad initium N. T. referri, quia illud cum destructione Hierosolymorum & pœnis durationis & gravitatis inauditæ in Judæos introductum est, quæ cum promissione hac consistere nequeant. Istud vero dubium illos neutiquam tangit, qui hic de ultima Judæorum conversione adhuc futura cogitant; quare & nos missum illud facimus.

Qua autem est æquitate & generositate cel. MICHAELIS veritatisque amore, neutiquam dissimulare voluit, quæ suæ obstare opinioni ipsemet sensit, quibusque ea prematur difficultatibus.

1. Obstare sibi sensit Scriptorem Epistolæ ad Hebræos

*Cap. VIII.* 9. noſtram pericopam eo ſcopo adducentem, ut oſtendat Vetere Teſtamento antiquato, novum aliquod idque præſtantius eſſe introductum. Ita autem hic elabi tentat, ut dicat, Paulum id ſibi voluiſſe, ut tantummodo fœdus Moſaicum ſuos habuiſſe nævos & defectus, neutiquam vero *illud* abrogandum ex hoc quem præ manibus habemus, Jeremiæ loco demonſtraret; atque hinc eſt, credo, quod illud Apoſtoli μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει referat ad fœdus illud antiquum (Not. 172.) quod tamen opus eſſe non exiſtimem, ſi enim illud voluiſſet Apoſtolus, cur non dixit, ut clarior eſſet μεμφόμενος γὰρ αὐτὴν αὐτοῖς λέγει? & revera apud Jeremiam non fœdus ſed Iſraëlitæ in verſibus immediate noſtram pericopam antecedentibus reprehenduntur: quin nec recurrendum putem cum RAPHELIO & CARPZOVIO ad conſtructionem paulo inſolentiorem verbi μέμφομαι cum dandi caſu, ſed hoc modo res expedienda videtur: αὐτοῖς in medio poſitum ad utrumque referri poteſt Euphoniæ gratia, quaſi ſcriptum eſſet μεμφόμενος γὰρ αὐτοὺς αὐτοῖς λέγει cujusmodi exempla plura Graecae dictionis ſuppeditari poſſent ſi opus foret. Addidit autem Apoſtolus illud μεμφόμενος, ut oſtendat ubinam apud Jeremiam verba haec ſint invenienda, uti recte SURENHUSIUS in βιβλῳ καταλλαγης *p.* 626. ex more citandi Rabbinico de quo ipſe MICHAELIS *Introd. in N. Teſt. Tom. I. Part.* 1. *pag.* 259. ſed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Quod ad rem ipſam non ſatisfecit Pauli verbis ſua exceptione, me quidem Judice, cel. MICHAELIS: diſerte enim ſacer ſcriptor vs. 13. Ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην, & ex tota ſerie verborum Pauli pa-

patet, eum loqui de fœdere abrogando ob multiplices defectus, surrogato in ejus locum novo, eoque meliore & praestantiore.

2. Alia est difficultas quae Viri cel. opinionem gravissime premit. Fœdus Novum, de quo Jeremias vaticinatur, rotundis verbis distinguitur a fœdere cum Patribus Israëlitarum erectum, tanquam alius naturae, dicendumne ergo erit, aliud fœdus ac Mosaicum locum habuisse post reditum ex captivitate Babylonica? Hic Vir doct. (Not. 175.) omnia movet, ut ostendat, quantum fuerit hoc fœdus vel œconomia Divina diversum ab illo: quorsum etiam refert *Jer. III.* 14-17. post omnia autem denique subjicit, nonne hoc est, fœdus Mosaicum mutabatur? & paulatim inclinabat versus finem suum? Et revera nihil amplius praestitit Vir cel. suis de natura œconomiae Divinae post reditum Judaeorum e Babelo, observatis nisi quod demonstraverit, tunc temporis magis magisque adparuisse, quot quantosque naevos fœdus habuerit Mosaicum, neutiquam vero aliud fœdus huic tunc temporis fuisse substitutum: quin contrarium diserte legitur *Nehem. X.* 29. quod populus redux fœdus cum Deo renovans promiserit sancte, se ambulaturum in lege Dei, data per manum Mosis servi Dei: Nonne *Malach. IV.* 4. jubetur hic idem populus legem Mosaicam, quemadmodum in Horebo promulgata fuit, cum omnibus institutis & praeceptis observare & memori retinere mente? Fuit itaque revera idem fœdus Mosaicum ante & post captivitatem Babylonicam; nec huic dubio cel. MICHAELIS hactenus solvendo fuit.

(3.) Denique ad *Hebr. X.* 15. (Not. 231.) hunc locum, ubi Paulus iterum Jeremiæ pericopam ad partes vocat, ut inde probet, plenariam peccatorum remiſſionem ſub Novo Teſtamento exſpectari debere, ſemet in anguſtias redigere ultro fatetur: & ſane locus ille clarior eſt, quam ut permittat Novum Fœdus Jeremiæ exponere de renovato temporibus Eſræ aut Nehemiæ fœdere. Et mirum accidit, cel. MICHAELIS hic loci ad contextum apud Jeremiam tanquam deciſivum ſe recipere, quem haud obſcure ſupra agnovit, neutiquam ad hanc litem dirimendam valere.

4.) Plura alia ſunt, quæ Viri doctiſſimi, & qui eum præiverunt, GROTII ac CLERICI opinioni de fœderis renovatione ſub Nehemia hic prædicta obſtant, infra memoranda ubi noſtram firmabimus ſententiam.

Quo minus autem hic tranſitum faciamus ad noſtram hanc opinionem proponendam, intercedit noviſſimus hujus Libri Interpres, Theologorum in noſtro Belgio hodie facile eruditionis laude princeps, VENEMA, qui licet in variis nobiscum omniuoconveniat, in paucis tamen alio modopericopam exponit. Concionem ſcilicet Prophetæ duobus capitibus XXX. & XXXI. comprehenſam variis pericopis conſtare Vir cel. autumat, formula *ſic dixit* JEHOVA, paſſim diſtinctis, quarum idem fere ſit argumentum, vario modo propoſitum, nunc contractius nunc latius, & cum novis ſubinde promiſſis; quin probabile ſibi eſſe dicit, diverſi temporis Prophetias hic in unum fuiſſe congeſtas; quam obſervationem clavem ad ſenſum horum capitum reſerandum unicam eſſe ſibi perſuadet. Secundum hanc hypotheſin *ſeptima* hujus con-

concionis *pericopa* occurreret vs. 23-34. duobus *articulis* diſtincta, primo vs. 23-30. altero vs. 31-34. *Octavam pericopam* continerent duo commata 35, 36. *Nona* denique & ultima vs. 37-40. ſe extenderet. Promiſſionem de Novo Fœdere vs. 31-34. rectiſſimé de œconomia nova ſeu gratiæ intellexit & expoſuit Vir celeberrimus, quin optime *pag* 273. ex phraſi *poſt hoſce dies* vs. 33. evicit, „ eo inſinuari, *Fœdus* diebus pro-
„ xime futuris erigendum tempore Meſſiæ, effectum
„ univerſalem non habiturum inter Judæos & Iſraëli-
„ tas, niſi ſub finem illorum dierum, quando totus
„ Iſraël ſalvabitur." De verbis vero vs. 35. 36. videtur dubius hærere, an ad Judæos durante œconomia vetere ſint adplicanda an ad Novam œconomiam pertineant. In ultima denique pericopa vs. 38-40. Hieroſolymorum reſtaurationem intelligit non tantum literaliter ſed & de inſtauranda urbe a reducibus ex captivitate Babylonica explicat. Maximo, fateor, eruditionis adparatu hanc ſuam hypotheſin ſtruxit Vir celeberrimus: ut tamen verum fatear, illud me male habet, ineſſe huic hypotheſi neſcio quid quod precarium videtur, illud enim *ſic dicit* JEHOVA non ſemper initium eſſe novæ *pericopæ* Propheticæ, ipſe agnoſcet Vir cel. & hic ſæpiſſime cum altera illa formula ſolenni permutatur נאם־יהוה *inſpiratum* JEHOVÆ. Præterea quam inæquales ſunt hæ pericopæ, altera aliquot, altera duorum tantum commatum? An hæ pericopæ inter ſe habent nexum aliquem, an nullum? Si habeant, qualis ille eſt? Si nullum? quomodo conſtituunt hæc duo capita unam concionem Propheticam? Qua ratio-

ne autem cohæreant commata illius concionis partis, quam præ manibus habemus, nexu sane simplici & naturali, jam indicavimus in *Analysi* supra pag. 6. In Explicatione literali versus 31. denique observavimus, Virum cel. הנה ימים באים exponere de aliis diebus ac antea memoratis, hosque secuturis proxime, non autem sic instituit vers. 38. ubi tamen eadem phrasis recurrit, quod videtur nonnihil hypotheseos caussa factum esse.

Plura in medium haud adducam, quia quæ pro nostra observavimus de hac Pericopa opinione, simul eo faciunt, ut hac evicta, reliquæ omnes ultro refutatæ esse censeri debeant.

Moram etiam nobis non faciet Expositio hujus Capitis, quam communem & vulgatam vocare liceat, quæ vaticinium mystice & spiritualiter de *omni* fidelium multitudine explicat, quamvis COCCEJI summi Viri multorumque ejus sequacium ex parte impetraverit adsensum, qui ad Ecclesiam N. Testam. adplicant. Conferri potest LILIENTHALIUS in *Opere Bibl. Tom. II. pag.* 293. Verum quo modo apud æquum rerum æstumatorem se tueri possit non perspicio. Memoratur enim in hoc Capite liberatio & reductio Israëlitarum *ex septentrione*, memorantur *Coeci*, *Claudi* &c. inter reduces, corporalis & propriæ reductionis indicium, uti recte VENEMA *Diss. sacr. I. XI.* 13. Si reædificatio urbis vs. 38-40. promissa spiritualiter sit intelligenda, scire velim, quid sit mystice turris Hananeël, porta anguli, collis Gareb, locus Goatha & alia illic memorata? tantum non subscriberem dicto Judicio

sis-

ſiſſimi HARTMANNI *Bibl. Domeſt.* ad h. l. *Dat geen*, ait, *hier*, vs. 38 - 40. *van Jeruſalem gezegd word*, *alles te willen vergeeſtelyken*, *dat is by my van den Bybel een wasſen neus maken.*

Tandem pedem promovemus ad dicendum quid de Pericopæ noſtræ adplicatione & implemento nobis ſentiendum videatur: unice vera illa ſententia nobis videtur, quæ vaticinium exponit de ipſis Judæis, deque ultima futura adhuc eorum continuo conſervatorum tanquam gentis ſeparatæ, readſumtione in Fœdus Divinum, reductione in terram ſuam, & reædificatione Hieroſolymorum, ut ſit gentis & Reipublicæ Metropolis & veræ Religionis ſedes. Quam ſententiam ut indubiam & omnibus probabilem reddamus, relegenda ſunt pericopæ hactenus tractatæ verba, & eruendi, qui in iis obvii ſunt characteres, qui nos ad hanc manuducunt Explicationem.

Ante omnia itaque Lector obſervet velim, ſubjectum hujus Prophetiæ eſſe Iſraëlem & Judam, h. e. totum Iſraëliticum populum, tum X. tribuum qui & *Ephraimi* ſub nomine veniunt: tum duarum cæterarum Benjaminis & Judæ: id quod ſupra jam evicimus, *pag.* 26. atque adeo quia ad reditum ex Babele adplicari nequeunt verba, omnino extendenda illa eſſe ad tempora ultima, quibus totus populus absque diſtinctione multo minus æmulatione tribuum ad fœdus Dei & ad Meſſiam ſeſe adſociabit; pœnitentia commisſorum criminum ductus, & nunc denuo Divino favore beandus.

Alterum, quod nos ad ultima tempora ducit criterium

rium eſt ſilentium de gentibus in tota noſtra pericopa. Si ad initia novæ œconomiæ gratiæ referenda foret, gentiles quibus tunc Euangelium, rejectis ob incredulitatem Judæis adnunciatum fuit, memorati fuiſſent; de quibus nunc altum ſilentium tenetur.

Quod criterium *firmatur* phraſi כרת ברית *pro* qua Apoſtolus *Hebr. VIII.* verbum συντελέσω poſuit, quæque, ut in literali Exegeſi obſervavimus, *non* de adnuntiato fœdere ſed de fœdere erecto & ſtabilito, ita ut effectum ſortiatur, capienda eſt, quod recte quoque vidit cl. Venema, & confirmatur ex verſu 33.

Novum temporis ultimi characterem nobis ſuppeditat quod dicitur vs. 32. de fœdere a parte populi rupto, a parte Dei abolito. Vidimus *pag.* 30. indicari ruptum fœdus plenarie & omnino fuiſſe a parte populi, phraſinque eſſe valde Emphaticam, nec minus verba illa בעלתי בם innuere, Deum O. M. nuntium miſiſſe populo ſuo, fœdere ſuo, quod ſub *matrimonii* figura proponitur, abolito. Quæ ſane, tum capitale Judæorum crimen, quo Deum ejusque fœdus rejecere, tum ipſorum ob hoc crimen rejectio indicium habent temporis ab initio Euangelii ſive œconomiæ Novæ usque ad ultimam Judæorum converſionem.

Hoc vero cum ita ſit, nemo negare poteſt fœdus hoc Novum, de quo agit vaticinium; reſpicere ad readſumtionem Judæorum illo tempore. Dicitur enim rotundis verbis verſ. 33. hoc fœdus pangendum cum domo Iſraëlis *poſt illos dies*, ſcilicet quibus rejectus a Deo populus fuerat ob atrocia ſua facta & crimina; rejecti enim manerent *illis omnibus diebus* verſ. 36.

per

per totum illud temporis ſpatium, quemadmodum diximus *pag.* 33 & 51.

Ne autem nimis excreſcat hæc noſtra tractatio, levi tantum brachio tangimus formulam fœderalem, qua Deus ſe populi ſui Deum fore, & illum ſuum populum promiſit, tum bona fœderis memorata vs. 34. quæ gratiæ & novæ œconomiæ bona & dona hucusque ſane Iſraëlitis tanquam populo conſideratis nondum ipſa re, communicata ſunt, ſed tamen quia ἀμεταμέλητα, certo certius ſunt donanda.

Illud vero adcurate adtendi velim, Dubia illa, quæ mota & ſublata vidimus vs. 35. ſqq. contra Divinæ promiſſionis veritatem, nunc quammaxime valere: Judæi hactenus gentem conſtituunt ſeparatam ab omnibus aliis, non tamen populum liberum, ſui juris, גוי non עם, non enim in cenſum hic veniunt quædam familiæ aut tribus, quæ in Arabia has aut illas urbes poſſidere & ſuomet regere imperio narrantur a Niebuhr in *Deſcriptione Arabiæ*, *pag.* 23. (cum quo conf. Michaelis *Orient. Und Exeg. Bibl. IV. Th. pag.* 84. adde Hinlopen *Diſſ. de eo quod Arabes ab Aramæis ceperunt*, §. 7. *cap.* 1. Hic loci *anno* 1775. ſub cl. Ravii Præſidio defenſa.) Quæ forſan origine Arabes ſed Judaicam religionem amplexæ: aut Colonia Judæorum in ora Malabarica in India Orientali, de qua abſolvit nuper 's Gravezande Vir plur. Rev. in Comm. Societ. Fliſſinganæ. Præterea rejecti a Deo plurima iræ ejus oſtendunt ſigna: Deſpectui vulgo & ludibrio iis ſunt, apud quas verſantur gentibus, hucusque tamen ſervantur preſſi quidem ſed non oppreſſi, & ſæ-

vis-

visfimas licet in plurimis Regionibus vexationes perpesfi patrios ritus, quoad ejus fieri poteſt, mordicus retinent. Quam tamen rejectionem finalem fore & ſemper fine reſtauratione duraturam vetant firmisſimæ Dei huic populo factæ promisſiones, interque eas noſtræ verſu 35. ſqq. contentæ. Quin ita moderatus eſt Deus miſericors populi hujus exilium, ut non raro de illis repeti queant verba RUTILII *Itiner. I.* vs. 395.

*Atque utinam nunquam Judæa ſubacta fuiſſet*
*Pompeji bellis, imperioque Titi.*
*Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,*
*Victoresque ſuos natio victa premit.*

Denique reſtitutio Metropoleos hic memorata vs. 38. literaliter, ut obſervavimus, intelligenda, neutiquam impleta eſt *Nehemiæ* aut inſequentibus poſt captivitatem Babylonicam ad deſtructam urbem a Tito Veſpaſiano usque temporibus. Nunquam enim urbs illa a reducibus ædificata tanta fuit magnitudine, ut ambitu ſuo continuerit collem Gareb, Goatham, de quo poſtremo loco, fi eadem eſt quæ Golgotha, quod veriſimile putamus, certisſime conſtat, Salvatoris noſtri ætate extra urbem fuiſſe, valles illas cadaverum, cineris, ſeu filiorum Hinnom; numquam ſe extendit urbis hujuſce ambitus ad torrentem Kedron usque. Exſpectanda itaque eſt reſtitutio Hieroſolymorum ad eam formam & magnitudinem, quam hic deſcriptam videmus. Rectisſime ad hunc locum itaque HUBIGANTIUS: *Deſcribuntur limites Jeruſalem novæ, quam Judæi ad*

*ad terram suam reversi habitabunt; planum est, describi situm locorum, non morum conditionem. Hæc autem non completa fuisse post reditum Babylonis usque ad Christum natum, docet S. Historia, in qua legitur montem Goatha sive Golgotha fuisse extra Jerusalem situm, idem dixeris de valle cadaverum, nam de Gareb nihil constat.*

Quod de urbe illa nova dicitur, illam Jehovæ sacram, sanctam & inviolatam fore, neque amplius destructum iri, imo neque mala bellica obsidionis V. C. rapinarum &c. subiturum in æternum, quod habuimus pag. 64. illud neutiquam de Hierosolymis dici potuit a captivitate Babylonis usque ad ejus excidium per Romanos. Ut enim concedam, illud *in æternum* posse intelligi de œconomiæ veteris toto tempore, tamen neutiquam verum est, Jerusalem urbem ejus temporis sanctitate incolarum claram aut expertam non fuisse mala bellica. Contaminata est horrendis & enormibus sceleribus, cædibus, seditionibus &c. & quod ad mala spectat bellica, ne invasionem Alexandri magni feliciter ope Jadduæ Pontificis aversam, de qua alibi dixi, hic memorem, quis quæso est, qui nesciat, quam dire sæpe hæc urbs habita sit tum a Regibus Syro-Macedonicis, tum Ptolomeis Ægypti, tum a Romanis, sæpius obsessa, dira fame pressa, semel iterumque capta: quæ omnia ex historia facile demonstrari possent, nisi nobis hic otium fecisset Rever. & Doct. Schutte in *Explicat. LXX. hebdomad. Daniëlis*, *pag.* 274 sqq. *Tom. I.* ubi de *angustia temporum* illorum post reditum ex Babele ad Christum usque egregie di-

spu-

putavit. Alia itaque omnia exſpectanda habemus: Urbem novam lætiore omine reſtaurandam & κατ' ἐξοχὴν *pacis urbem* futuram.

Sic hactenus ex inſitis characteribus ex ipſa noſtra pericopa ingenue erutis, ſententiam noſtram ita adſtruximus ac confirmavimus, ut *omnibus*, qui recta lance rem perpendent, ſatisfeciſſe nobis quidem perſuaſum habeamus: addere poſſumus nonnulla alia quæ aliunde ſumta opinionem noſtram munire apta nata ſunt. Huc referri debet tota ſeries & nexus hujus Capitis XXXI. qui ad *ultima* tempora Novi Teſtamenti nos ducere omnino videtur. Scio quidem, in partes hic ſcindi Interpretes, dum alii ad reditum populi ſub Zorobabele antecedentia capitis hujus ſpectare contendunt, alii illud ab initio usque de ultima populi Judaici converſione explicent. Nec ſcopus hujus tractatiunculæ permittet, nec noſtrum erit tantas componere lites, breviter quæ utrinque dici poſſint ordine Lectori propinabimus. Qui itaque ad reditum ex Babele reſpiciunt Interpretes, eorum copias inſtruxit cel. Vᴇɴᴇᴍᴀ *Diſſ. Sacr. I. XI.* 13. primo loco obſervans hunc reditum, qui hic prædicitur, *fore ex ſeptemtrione*, certum argumentum de reditu ex Babele ſermonem eſſe vs. 8. dici tamen poſſet, memorari eodem commate *latera terræ*, hoc eſt, undique Judæos collectum iri. Solidisſimam autem ſuam rationem petit ex vs. 38-40. de reædificatione Hieroſolymorum, quam Zorobabelis tempori adligandam cenſet; nos autem hic alia vidimus, nec eo referri poſſe demonſtravimus: quæ pro illo tempore ex his verſibus adfert, mox erunt ſolvenda.

De-

Denique ait Vir cel. multa esse, quæ sine dubio ad initia N. Testamenti pertineant: vs. 15. coll. *Matth. II.* 18. vs. 22. vs. 31. coll. *Hebr. VIII.* de ultimo mox videbimus. Quod ad bina reliqua commata, respondent aliter sentientes ad comma 15. Si *scena prophetica* recte collocetur, hunc versum ita concipiendum esse, quasi contineat exemplum Judæis ultimæ ætatis ob oculos positum, quod acciderit primis Euangelii temporibus, unde discere poterant, quæ apud homines ἀδύνατα, Deo tamen manere possibilia, ita Plur. Rev. KULENKAMP *in Acad. Erudit. Tom. I. part. II. pag.* 233. vel ita rem concipere posses, omnia mala, quæ Judæis evenere sub schemate figurato *Rachelis* liberos suos deflentis proponi, quorsum ergo & infanticidium pertineret Bethlehemiticum, de quibus illam Deus consolatur promissione reductionis liberorum ipsius, quos ad fines suos reversuros illi promittit vs. 16. 17. hæc est expositio cel. MICHAELIS *Introduct. in libr. N. T. Tom. I. part. 1. pag.* 409 *sqq.* Quod denique ad comma 22. adtinet, dubium est adhuc, an omnino de nativitate Domini nostri agat ex Virgine, quia nusquam in Novo Testamento eo refertur & ob alias rationes hic non memorandas: Quid si versus exponendus sit de feminarum πανήγυρει, quæ se ad *viros* jungent, illis lætitiæ temporibus, eorum *latus cingent*, cumque ipsis multis & variis modis, canendo, saltando ludendo magnam lætitiam demonstrabunt? Vide JOH. WILH. PARIS. in *Bibl. Hag. Cl. I. fasc. 1. pag.* 97. Sic hoc comma nec pro hac nec pro illa hypothesi militabit.

Atque hæc præcipua funt, cur Caput hoc referant magni Viri ad reditum populi ex Babele, illud enim ficco pede tranfire licet, quod quidam ex nomine נוצרים vs. 4. quod commutarunt cum *Naziræis*, Apoftolos primos Novi Teft. Doctores exfculpere fategerunt; inter quos DEYLING. *Tom. I. Obf. XL. pag.* 200 *fqq.*

Videamus, quid alii opponant: argumentantur ex vs. 1. coll. verfu Capitis XXX. ultimo, in quo dubio procul de ultimis Novæ œconomiæ temporibus verba fiunt, interim dubium eft aliquo modo hoc argumentum, verifimile enim admodum, hoc comma primum mala verfuum diftinctione a fuperioribus avulfum Capiti præcedenti adnectendum effe. Fortius præbent argumentum commata 12. & 14. *triftes amplius non erunt* & *fatiabuntur bonis meis.* Tum & connexio cum præced. Capite, cum quo hoc XXXI. unam conftituit concionem Propheticam, quod finitum erat in promisfione liberationis & reftitutionis Ifraëlitarum in integrum ultimo tempore, quæ itaque promisfio hoc noftro Capite amplificaretur, & deduceretur. Licet autem ad hanc magis inclinarem fententiam, nihil tamen hic determino, fed liberam Lectoribus meis, quod placeat, eligendi poteftatem relinquo, quia five hoc five illo modo capiatur, five Cap. XXXI. fit continuatio concionis Cap. XXX, five ἀνακεφαλαίωσις illius, falva tamen res eft, & nexus egregie facit pro nobis. Si enim fit ἀνακεφαλαίωσις antecedentis Capitis eodem quo illud ordine decurret, jam vero illud, initio facto a reditu populi ex Babele, fata populi ad Christum Dominum per

percenſet vs. 1 - 21. & porro populi crimine, ob quod ingens Dei ira exardeſceret, expoſito, terminatur in populi reſtitutionem & converſionem ultimis diebus. Comm. 24. & Cap. XXXI. 1. Jam eodem modo noſtrum Caput, initium ducit a reditu ex captivitate Chaldaica & fata populi percurrit ad initia Novi Teſtamenti vs. 31. quando populus fœdus Dei plane rupit, ideo a Deo rejectus, reſtituendus tamen in integrum, quemadmodum vidimus.

Si autem ſermo de liberatione Iſraëlis ultimo tempore Cap. XXX. hoc noſtro Capite continuetur, nemo unquam dubitare poterit, quin noſtra Pericopa de illa & nulla alia ſit explicanda. Series igitur Prophetiæ quocunque demum modo ſumatur, noſtram confirmat Exegeſin & adplicationem, cui autem volupe eſt totius Capitis XXXI. legere Analyſin, habet eam cel. VOGET, Viri, cujus poſt funera apud me viva grataque manet memoria, ad *Eſ. LVIII.* & *LIX. pag.* 276.

Aliud adhuc eſt, minime hic prætermittendum. Videri nempe Paulum *Rom. XI.* in quo Capite ſedes eſt disputationis de ultima adhuc futura Iſraëlis converſione, verſu 27. noſtram adplicare Pericopam ad illum caſum, quod argumentum ita cel. VENEMA permovit, ut agnoverit, *complementum perfectum*, huic promiſſioni Divinæ *ultimam addituram converſionem.*

Atque hæc ſunt, quæ pro noſtra adplicatione hujus Pericopæ dicenda cenſui, aliis minus nervoſis, ne operoſus eſſem, prætermiſſis, conferri tantum velim

F 2 WITS.

WITS. *de X. tribub. Cap. XI.* §. 12. ſqq. qui tamen de reædificatione Hieroſolymorum pauliſper dubitanter ſolita Viri prudentia: §. 18. *Utrum tamen de urbe* materiali *agatur, an vero* ſpirituali, *qualis Ezechieli præfigurata eſt, & Johanni in ſua Apocalypſi, nefas non ſit ignorare, donec fata ipſa ſe rerum eventu explicent.*

Qui autem veritati unice litat, quod boni officium eſt interpretis, neutiquam reticere debet, quibus ſua explicatio premitur & obnoxia eſt, difficultates. Sunt etiam quædam, quæ *noſtræ* hujus Pericopæ adplicationi ad tempus ultimum obſtare & Lectorem, quo minus ſupra disputatis adſenſum præbeat, cohibere poſſent; quæ itaque huc proferre animus eſt. Sunt vero duplicis generis, quædam ſpectant ad ipſam noſtram Pericopam, quaedam generatim theſin de Judaeorum reverſione in terram ſuam feriunt, ſeorſim itaque trutinanda & examinanda.

Ante omnia obmoveri poteſt, Apoſtolum *Hebr. VIII.* 8-12. & *X.* 16. 17. Pericopam adplicare ad prima Novae œconomiae tempora. Reſpondeo, habere quidem hoc aliquam ſpeciem, nil autem praeterea. Probat Apoſtolus priore loco, antiquandum ob varios naevos fœdus & œconomiam antiquam, ſubſtituto novo & meliore fœdere, quorſum egregie faciebat hic *Jeremiæ* locus; in medio autem relinquit quando aut quo tempore haec praeciſe promiſſio Judaeis facta effectum ſortiatur. Atque illa eſt vera ratio, cur tantummodo Pericopam adducat, quatenus naturam & bona fœderis Novi contineat, ex quibus ſolis argumentari

tari sibi proposuerat, omissis reliquis, quæ ad Judaicum populum in specie pertinebant ejusque liberationem seriore tempore. Eadem prorsus responsio valet ad alterum Pauli locum *Hebr. X.* 16. 17. ubi iterum ex natura fœderis Novi & remissionis peccatorum sub eo argumentum ducit pro sufficientia sacrificii Christi, nec ullo alio præterea opus fore; absque ut aliquid de Pericopæ implemento determinet.

Aliud est, quod obmovetur dubium: Mentio hic fit Israëlis & Judæ separatim, diximus autem per Israëlem X tribus, per Judam duas reliquas, intelligendas esse: at vero hodie quammaxime confusæ sunt populi Israëlitici tribus, ergo hæc adplicari non possunt ultimis temporibus, sed referenda ad reditum ex Babele, quando Genealogiæ adhuc servatæ erant. Verum non perspicio vim argumenti: si Israël & Juda memorantur, indicatur totus populus, non hoc erit privilegium Judæ tribui privum, sed omnibus Israëlitis commune, neutiquam dicitur distinctas tunc fore adhuc & cognosci posse tribus singulas. Uno verbo *omnes tribus & familiæ* Israëlis indigitantur, uti est *vs.* 1. *Cap. XXXI.* quin imo illud quod vs. 31. dictum erat, *Deum pacturum fœdus suum cum domo Israëlis & Judæ*, postea adcuratius & uno verbo dicitur vs. 33. *Hoc erit fœdus pangendum post illos dies cum domo Israëlis*; ut sciremus de toto populo absque distinctione aut æmulatione tribuum vaticinium esse sumendum.

Quæ vero produxit cel. VENEMA *Diss. sacr. l. c.* ut ostendat, *ab omni abhorrere ratione vs.* 38-40. *de Hierosolymis instaurandis ultimo tempore cogitare*, di-

fcuti merentur. Sunt autem fequentia : Primo *ejus eventus nullam esse rationem*, verum obfervo, fi vel nullam ejus eventus rationem nos dare poffemus, fufficere deberet quod illa inftauratio verbis Prophetarum fit prænuntiata: id enim eft quod quæritur; fed fi populi Judaici reditum exfpectamus in terram fuam, a quo ipfe Vir cel. non abhorret, quid, quæfo, magis credibile quam eos metropolim fuam inftauraturos? Sed, inquit (2.) *ut* bonum *aliquod promittitur, quale neutiquam est sub œconomia nova*, agnofco, eam effe naturam N. œconomiæ, ut bona corporea non fecum adferat quæ tantum funt adjectitium quid, fed hæc inftauratio urbis, quæ per fe bonum non eft œconomiæ novæ, κατά τι & peculiari fchefi ad Judæos bonum ipfis evadit, quatenus nempe terra eorum anathemate percuffa *Mal. IV.* & defolata urbs iræ & rejectionis Divinæ indicia ipfis funt. Quæ in integrum reftituta redintegrati & renovati Divini amoris & favoris argumentum ipfis præbebunt.

*Denique*, addit, *termini & limites urbis condendæ hic repræsentantur, qui tum inveniri non poterunt, funt enim nunc omnia confufa; tum quod fecundum illos limites urbs ædificata eft, cum terram repetierunt ex Babele; ut liquidiffimum ex Nehem. III.* ultimum illud fupra jam occupavimus, oftendendo, neutiquam hos fuiffe limites urbis a reducibus ædificatæ, adeoque impletam non fuiffe illo tempore Prophetiam. Quod ad primum, fatis clara eft defcriptio ambitus & limitum urbis, ut vidimus in Exegefi, fed vel fit ita, quod indicari nequeant hic nominata loca, quid inde? Suf-

Sufficere putamus, prædictione hac verbis expressa sui temporis & locis indicatis omnibus notissimis, Jeremiam spem fecisse Israelitis, urbem Hierosolymorum ultimo tempore longe majorem habituram ambitum, quam unquam antea.

Ultimo loco non dubito fore plerosque, quorum ad palatum *minime sit thesis*, Judæos olim in terram suam reversuros, urbemque cur non & templum? restauraturos, quique cum ORIGENE *contra Celsum*, *Lib. IV. pag.* 174. pronuntient: θαῤῥοῦντες δ' ἐροῦμεν, ὅτι οὐδ' ἀποκαταστήσονται. Magnus hic nobis aperiretur campus de ea re ulterius differendi, nisi consulto me retinerem, tum quod ex dictis multa clara sunt, tum quod plura argumentum nostrum non postulat. Unicum tantum dico, me nihil rationis videre, cur hunc reditum & restaurationem negaremus: tum propter plurima loca Prophetica, quæ huc referenda videntur, sed quæ non possum omnia hic loci adstruere. Consideret Lector *Deuter. XXX. Ezech. XXXVII. Zach. XIV. Luc. XXI.* 24. *Rom. XI.* aliaque. Quin natura rei aliquid ejusmodi requirere videtur; Judæi manent gens separata, olim sunt convertendi, ut fiant populus Dei *Hos. II.* quid quæso cogitatu est promtius, quam illum populum jam liberum & sui juris aliquam terram tanquam suam habitaturum, & quam aliam denique nisi terram majorum ipsius & Patrum, ibique suam rempublicam & politiam tum civilem tum Ecclesiasticam secundum instituta Civitatis Christianæ habiturum? Præsertim quum terræ suæ vastationem & urbis templique desolationem tanquam iræ Divinæ signum & indicium

habeant conf. *Ef. LXIV.* 10. egit de tota re folita fibi eruditione & judicii ἀκριβείᾳ cel. VENEMA *Diff. facr. Lib. I. cap. XI.* ubi *cap. XII.* §. 12. dubitanter quidem, ita tamen ut in ajentium partem magis inclinet, de hoc reditu populi & ædificatione urbis loquitur. Noftra Pericopa, fi vel ulla alia, fecundum ea quæ adtulimus ad eam illuftrandam, ita clara eft in hac re, ut negari res non poffe videatur. Fovent etiam hanc fpem Judæi, uti notum fatis eft; & quid dicendum de traditione apud *Othomannos* terræ hujus hodiernos Dominos pervulgari, fe aliquando tandem ex terra hac ejectum & dominio ac poffeffione privatum iri? quæ etiam ratio, cur fingulis *Veneris* diebus portas Hierofolymorum claufas teneant, quemadmodum ex KORN. DE BRUIN notavit BACHIENE *Canaän. Tom. II. part.* 1. *pag.* 307. cui junge SHAW *Itiner. Tom. I. pag.* 346. *Ed. Belg.* Quidquid de hac traditione fit, quod ad rem ipfam, maximos Viros ὁμοψήφους hic habemus: Cl. MICHAELIS *in Compend. Theol. dogm.* §. 108. *pag.* 191. *Sunt alia*, inquit, *utriusque codicis loca, quæ peculiarem rationem regni Chrifti ad Palæftinam populumque Ifraëliticum protendere videntur. Pf. LXXII.* 8. *Zach. IX.* 10. *Luc. I.* 32. 33. *Hæc aut ad figuram referenda orationis funt, ut Ifraël pro Ecclefia, regioque inter Euphratem & Mare Mediterraneum pro terris ponatur ab Ecclefia habitatis: aut fi id bono interprete indignum, fidesque promiffionum Divinarum hoc modo laborare videatur, fperanda erit reducendis olim in Palæftinam Ifraelitis Chriftocratia, ut Theocratiæ olim fubfuerunt.*

Quæ

*Quæ ſententia ſi paulo eſt inſolentior, nihil tamen in Theologiam reliquam erroris, ac ne novitatis quidem invehit: quid enim ad hanc, ubicumque demum terrarum habitabunt olim Iſraëlis poſteri? Contra his reditum in terram, æterno fœdere illis donatam, tam certo promiſit Moſes, quandocunque reſipiſcent Deut. XXX.* 1 -- 14. *deque eorum ad Chriſtum converſione tam perſpicue Paulus Rom. XI. vaticinatus eſt, ut difficile ſit, de reditu eorum in antiquam patriam dubitare.* Significantius adhuc loquitur Jo. VAN SCHELLE *Orat. Inaug. de feliciori extremis Eccleſiæ temporibus reſervato Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu,* 1758. *pag.* 54. *Inter eos,* verba ſunt Viri cel., *profiteri nomen non refugio, qui ærumnoſiſſimis Judæis cœloque ſoloque extorribus redeundi demum in patriam ſpem faciunt; tam luculenta enim, meo judicio, atque indubia, ea de re, in Prophetarum volumine occurrunt promiſſa, ut ſi omnia illa in alium Emblematicum nimirum ac figuratum ſenſum torquere debeam, ne verbo Divino vim inferam, ſollicita cura verear.* ——

Alii interim Viri non minoris famæ ſemet huic ſpei oppoſuere, inter quos primas tenet. FR. LUDOV. CREMER *Orat. de reditu Judæorum in terram Canaänem & inſtauratione Templi atque Urbis ultimo tempore non exſpectandis, Harderov.* 1754. cujus uſum benevole mihi conceſſit Vir cel. J. A. Vos Theologus in alma Trajectina digniſſimus. Conf. cel. CURTENIUS in Δυσνοήτοις *Paul. Tom. I. pag.* 645. & *Cant. Moſ. pag.* 641. 642. *not.* (*i*). Ubi dubitanter de hac re loquitur.

Concedunt quidem hi Viri doctissimi, spem esse Conversionis Judæorum Universalis tempore ultimo futuræ, sed illorum reditum in terram & reædificationem Urbis negant: quæ autem dubia movent, partim jam de medio sustulimus, V. C. nullam utilitatem exin redundaturam ad hunc populum, œconomiae Novae naturam non admittere bona temporalia, illos gentibus esse inserendos *Rom. XI.* Hierosolymam saltem non fore Oraculum totius terræ & quasi Religionis sedem ac Metropolim, quae omnia sponte corruunt, si adtendamus, Judaeos qua populum se conversuros & in Dei fœdus adsumendos, quibus opus itaque & utile erit suam habitare terram & urbem, eandem licet cum fidelibus ex Gentibus profiteantur Religionem, conf. supra *pag.* 86. Partim ita sunt comparata dubia, ut thesin hanc neutiquam feriant, modo recte capiatur, V. C. quando dicitur, Veteris Liturgiae non exspectandam renovationem, *nequaquam enim*, ut recte cel. VAN SCHELLE *Orat. cit. pag.* 55. *exsules Israëlitas in patriam reducimus, ut, Templo restituto, cultum Leviticum ac Sacrificiorum oblationem, quæ in æternum abrogata est, renovent unquam, aut parietem reficiant intergerinum, quo se a gentium communione denuo segregent: at longe alia nobis mens est. Redibunt nempe conversi in patriam Judæi, ut Deum Christumque in eadem, in qua eum ejuraverant, terra, ad receptam Euangelii normam colant, & venerentur, cum Ecclesia, quæ ex gentibus collecta est, fidei amorisque vinculis arctissime uniti, conjunctisque viribus*

*ribus Unius Numinis gloriam promoturi ; in Canaänem enim reduces medii quasi inter Orientis atque Occidentis populos degent.* — Partim ad motas quaestiones vix a priore & ante implementum ipsum responderi potest, quamvis de absurdo sententiam non convincant: cum rogatur V. C. an terra illa capere possit *omnes Judæos* ? Non enim opus est, ut statuamus omnes omnino quotquot in dissitissimis oris etiam degunt, Judæos patriam repetituros. Quid si res agetur ferme ad eum modum sed longe insigniorem & lætiorem, quo acta est post reditum ex Babylone ? Multi tum redibant Judæi, plurimi remanebant in terris, in quibus versabantur, sed tamen communionem colebant cum popularibus suis variis modis, quod ex historia constat. Ad difficultatem denique, Judæos nullum justum habituros titulum occupandæ Cananææ, respondere nunc quidem non possumus, sed nonne plurimas, & inexspectatas rerum in Orbe fieri conversiones quotidie ipsi oculis videmus & experimur ? Quin varii modi excogitari possunt, quibus evenire queat, ut revera justum possessionis titulum habeat Judaicus populus in terram Palæstinam quondam a majoribus suis inhabitatam. Sed desinamus, & tempori talia mandemus. Si clara exstant, de re ipsa Oracula Divina, de modo rei non opus est anxie disquirere.

Illos autem quum non moror, qui naso adunco Verbi Divini & Prophetici auctoritatem traducentes quasi ex tripode pronuntiare haud verentur, *hanc thesin refutatione non egere , spem hanc vanissimam esse.*

Lu-

Lucubratiunculæ huic AUGUSTINI dicto ; *Stultus est, qui non credit denunciationibus Prophetarum in paucis, quæ restant, cum videat, tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda* ; imponam

**F I N E M.**





*By de Drukkers dezes worden uitgegeven en zyn alom verzonden.*

N. Lardner uitvoerige Verzameling van oude *Joodsche* en *Heidensche getuigenissen* voor de Waarheid van den *Christelyken Godsdienst.* Eerste Deel, behelzende: 1. *Joodsche Getuigenissen.* 2. *Getuigenissen* van *Heidensche* Schryvers, die in de Eerste Eeuw geleefd hebben. Zynde dit voortreffelyke Werk door den *Ridder* Michaelis allernuttigst genoemd met dien wensch, dat het zelve ook in het *Hoogduitsch* mogte vertaald worden; uit het *Engelsch* vertaald in kl. 4to. a f 3 - 6 - 0

NB. Er zyn ook eenige weinige op groot papier gedrukt, om by de vorige groot papiere Werken gevoegd te worden. a f 3 - 6 - 0

J. Hinlopen Leerreden op de tweede Vereeuwing van de *Unie* der *Zeven Nederlandsche Provincien* over Ezechiel XXXVII. 16, 17, 18, 19. in gr. 8vo. *Tweede druk.* a f 4 - 0 - 0

- - - - - - Leerreden op eenen *Biddag* over Zach. VII. vs. 3. in gr. 8vo. a f 0 - 5 - 0

- - - - - - Leerreden op eenen *Biddag* over Jesaia V. vs. 3 en 4. in gr. 8vo. a f 0 - 4 - 0

- - - - - - Leerreden op eenen *Biddag* over Ezechiel XXII. vs. 30. in gr. 8vo. a f 0 - 4 - 0

G.

G. LESZ Predikatien *over den inwendigen Godsdienst*, in zig behelzende: (1) *Het doelwit van ons tegenwoordig leven.* (2) *Beschryving en aanbeveling der Christelyke arbeidzaamheid.* (3) GODS *Vaderlyke oogmerken in de rampen der menschen.* (4) *Natuur der Christelyke Lydzaamheid.* (5) *Beweegredenen tot dezelve.* (6) *Middelen ter versterking der Chriseelyke Lydzaamheid.* (7) *Van 's waerelds Roem en Goedkeuring.* (8) *Aangaande het oordeelen over deu Genadestaat onzer medemenschen.* (9) *Waarde vau een natuurlyk goed harte.* (10) *Van eene schielyken dood.* (11) *Opwekking tet het gebruik van 's* HEEREN *Heilig Avondmaal.* In gr. 8vo. Tweede Deel naar den laatsten druk uit het *Hoogduitsch* vertaald. *f* 2-4-0

NB. Van het *Eerste Deel* zyn nog eenige Exemplaaren te bekomen.

TONEEL STUKJES of kleine SCHOUW SPELLETJES voor de *Opvoeding der Kinderen*, door den *Heer* van SAINT MARC. In zig bevattende: *het Verkeerd geplaatst Vertrouwen* --- de *Verbeterde Hoogmoed* --- de *Kinderliefde.* Zynde dit zeer proper gedrukt met het FRANSCH er tegen over, en ook zeer geschikt om op eene gemakkelyke wyze de FRANSCHE TAAL te leeren en te onderhouden, om de *Kinderen* te gelyk te *Vermaken* en te *onderrigten*, hunne *houding* en *stem* te *beschaven*, eene neiging jegens hunne pligten, *haat* tegen de *ondeugd*, en *liefde* tot de *Deugd* in te boezemen; in Klein 8vo met een *blauw omslagjo.* a *f* 0-14-0

A. RUTGERS Het tweede *Eenwgetyde* van *Amersfoorts Hervorming*, plegtig gevierd in eene Leerrede over Deut. VII. 20-25. in gr. 8vo. a *f* 0-10-0

De

De Godlooze ontmaskerd; of vermaaning aan de Ongeloovige Schryvers. Uit het Fransch vertaald en met Aantekeningen van den Vertaler verrykt, in gr. 8vo. *f* 0 - 15 - 0

Beschryving van een Glaazen Werktuig, dienende om in weinige minuuten met zeer geringe kosten Mineraale Wateren, als *Pyrmonts*, *Spa*, *Zeltzer-Water* enz. te maken; zeer geschikt om den staat van den *Dampkring* te beoordelen ten opzigte der gezondheid en verrotting weerende, den *Zalpeter Lugt* in Planten en Dieren aan te tonen, en zelfs om *Visfen* en *Vogelen* ten gebruike der Keuken goed te houden, in eenen Brief aan den Eerwaarden Heer Presley door J. H. Magellan, uit het Engelsch hertaalt in gr. 8vo. met de afbeelding van het Werktuig in eene kopere plaat. a *f* 0 - 15 - 0

P. Bondam Redevoering over de *Unie van Utrecht*, ter gelegenheid van derzelver tweede *Eeuwfeest*, in gr. 8vo. a *f* 0 - 18 - 0

Y. van Hamelsveld, Afscheids-reden aan de Gemeente te *Goes*, over 2 Cor. XI. vs. 11. in gr. 8vo. *f* 0 - 6 - 0

- - - - - - - - *Berigt* aangaande de *Redenen* die hem bewogen hebben om zyne demissie als *Predikant* te Goes in Zuidbeveland te vragen, en, deeze hem geweigerd zynde, zyn Ambt intusschen aldaar nedertelеggn, in gr. 8vo. a *f* 0 - 12 - 0

Liber Schah five Lexicon Arabicum Codicibus Manuscriptis summa Fide Edidit ac versione Latina instruxit Everardus Scheidius, in 4to, Pars I. *f* 2 10 - 0

G.

G. W. ALBERTI Historie der *Kwakers*, hunne Leerstellingen, Leerwyze en Gebruiken, in 8vo. *f* 1 - 0 - 0

BAUDELOCQUE Grondbeginzels der Verloskunde, ten nutte der Vroedvrouwen ten platten Lande, in Vragen en Antwoorden, in gr. 8vo. Uit het Fransch vertaald door C. S. Med. Doct. *f* 1 - 8 - 0

J. A. C. VAN EINEM Kerkelyke Geschiedenissen, of vervolg op MOSHEIMS Kerkelyke Historie; beginnende di Werk met de 18de Eeuw, en eindigt met 1776. In 8vo. Eerste deel. *f* 2 - 0 0

A. GERARD Verhandelingen over onderwerpen betreffende den EIGEN AART en de BEWYZEN van de Christelyke Leere, in 8vo. uit het Engelsch vertaald. *f* 2 - 4 - 0

CRAMER Verklaring over Paulus *Brief aan de Hebreeuwen*, in 4to. 2de Deel 2de stuk. *f* 2 - 0 - 0
Waar mede de *Verklaring over Paulus Brief aan de Hebreeuwen* geheel compl. is in 2 Deelen 4 stukken.

ONDERWYS in den *Oneigentlyken* en *Figuurlyken Spreekstyl* der HEILIGE SCHRIFT tot Nut onzer *Landgenoten*, en *bevordering* der BYBELKENNIS, uit het Hoogd. van den Heer F. W. MASCHO vertaald, met eene *Voorrede* en eenige *Aanmerkingen* voorzien, in gr. 8vo. a *f* 0 - 18 - 0

PIERRE DU BOSC Leerredenen over den *Brief* van den H. *Paulus* aan de *Efezeren*, uit het Fransch vertaald door IZAK GERARD THIN *van* KEULEN, in gr. 8vo. 2de Deel 2de stuk. a *f* 1 - 10 - 0

MENGELWERK of *Verzameling* van verscheide nog *onvertaalde Stukken* van den Heere JOHAN LAURENS MOSHEIM, in gr. 8vo. 1ste Stukje. a *f* 0 - 11 - 0